


Mr. Gilson





Dei
viret.






BEATI
RAYMUNDI LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI ET MARtyris Tertii Ordinis Sancti Francisci.
OPERA PARVA.

[redacted]

CONTINENS QUATUOR LIBROS.

1. Liber Facilis Scientiæ.
2. Liber De novo modo demonstrandi.
3. Liber Contradictionis. 116 c
4. Liber Quæstionum Thomæ Attrebatensis.

Superiorum permissu.



Ex Officina Petri Antonii Capò Typ.
Mallorca

ANNO MDCCXXXVI.

APPROBATIO PERILLUST. D. D. SALVATOris Artigues Præsb. Artium Magistri, Philosophiæ pro Lulliana Doctrina Ex-Cathedratici, Sacræ Theol. Dris. Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris, hujus Episcopatus Examinatoris Synodalis, olim Perpetui Parochi Villæ de Arta, & nunc Canonici Pœnitentiarii Almæ Sedis Majoricarum &c.

LIbros *Facilis Scientiæ, De novo modo demonstrandi, Liber Contradictionis, & Quæstiones* [illegible] *Attrebatensis* nuncupatos, ab Illuminato Doctore, & Christi Martyre Beato Raymundo Lullo elaboratos, perillustris Domini D. Emmanuelis Salvador del Olmo Præsbiteri, Juris utriusque Doctoris, & hujus Diœcesis Vicarii Generalis, & Officialis nutu ad me perlatos, libens evolvi, & lubens perlegi. Opera ista neutiquam aliena egent commendatione, nedum mea; Authoris enim nomen, omen præfert altissimæ, infusæque doctrinæ; quæ rivuli ad instar, inexhausta Sapientia fluit. Et cum nihil in eis contra decreta Canonica, nec aliquid nostræ Catholicæ Fidei contrarium, aut optimis moribus dissonum invenerim, tanquam Reipublicæ Christianæ valdè utiles, & proficuos, illos typis iterum mandari posse censeo, salvo &c. Datum Palmæ Balearium die 5. Junii 1746.

Dr. Salvator Artigues. Can. Pœnit.

Imprimatur.
Salvador Vic. Gen. & Offi.

AP.

APPROBATIO D. IOANNIS ANTONII ARTIgues I.V. Dris. Civilium Institutionum Ex-Cathedratici, & causarum Decimalium, caterarumque ad Portionem Temporalem Stæ. Ecclesiæ Majoricensis expectantium Iudicis.

EX cõmissione Perillustris Domini D. Lupi de Sierra & Cienfuegos, Regiæ Audientiæ Balearis meritissimi Regentis perlegi Opuscula Illuminati Præceptoris B. Raymundi Lulli, quæ simul sub prælo sunt, *liber* nempe, *Facilis Scientiæ*, *liber De novo modo demostrandi*, *liber Contradictionis*, & *liber super Quæstiones Magistri Thomæ Attrebatensis*. Censoris officium assumere nequeo; plus enim honoris Magistro debetur, ut Marcus Antonius Philosophus Appolonio Calcedonio demonstravit, (*a*) & discipulos à Magistro probandos non è contra justum est, & honestum. (*b*) Præterea nihil in his libris invenitur, neque tractatur, quod Regalia, vel Rempublicam in minimo obluctare valeat, sed eos typis valde dignos profiteor. Salvo &c. Palmæ Balearium die 4. Julii 1746.

Dr. D. Ioannes Antonius Artigues.

Imprimatur.

Sierra Regens.

(*a*) Jul. Capitolinus in ejus vita, ibi: ut adscitus jam ad Imperatoriã dignitatẽ, tamẽ ad domũ Apolonii discẽdi causa veniret.

(*b*) Ex text. in leg. 57. ff. de verb. signific. Jul. Capon. discept. 262. conclus. 2. num. 15.

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

N votis permanens, Candide Lector, ut tuimet, Orbisque totius testimoniis comprobetur quantum æquè facilia, utilia, & necessaria sint nostri Illum. Dris. Christique Martyris invictissimi Bti. Raymundi Lulli Opera, quin etiam quidquid quorundam ignorantia, invidia, sivè malitia supponit ad deterrendum eos, qui fortassé ad earum studium accederent, esse merum figmentum; quale fuit illud Draconis Hortos Hesperydum custodientis, ne fortè desideratus ille aureus fructus à quopiam carpi posset, quinĩmo timore deterriti, à suscepto consilio plerique recederent, tam pulchrum, proficuum, elegantemque Donum non consequuti: Ideo ad hoc præcipuè ut tibi, universoque Orbi patefiat hæc veritas, edixi in Præfatione primi Tomi in 8. quosdam me prelo daturum libros, ut ago, mutato tamen aliquantulum ordine ibi à me proposito, propter quædã alibi explicanda. Pro nunc offero tibi hos quatuor libros in hoc volumine contentos; Et hoc in primis quia in eisdem invenitur Practica cujusdam Logicæ, quæ est velut altera pars *Logicæ novæ* cum suis annexis, jam Palmæ nondudũ impressæ in 4. sicut & iste: Qui Libri ambo sunt valdè necessarii, cum sint velut Introductio ad intelligentiam Ope-

rum noſtri B. Authoris; nam quidquid eſt uſque nunc editum, eſt quaſi lux Auroræ ſi comparetur ad Meridiem, & tamquam rivulus reſpectu Oceani incomparabilis Scientiæ B. Lulli. Accedit etiam quod licet omnes ejuſdem Libri ſint quædam emanatio, ſeu Practica ſuæ Artis Generalis, in his tamen hujuſmodi Libellis, magis explicita apparet; in aliquibus tamen magis implicita & arcana.

Te monitum apprimè volo, ut dum quæras proficiſci, & delectari in ſtudio hujuſmodi Librorum, primò illos perlegas, & ſignantèr Quæſtiones ſigillatim, percurrendo ad loca pernotata, ubi earum Solutiones modò explicitè, modò implicitè inveniuntur: Deinde ſuper alia quæſita conſimilia de eodem vel alio Themate propoſita, recurrendo ad eoſdem paragraphos, datum tibi erit dubia ſolvere, & reſolvere facillimè: Itaque diſces ab una Quæſtione, alias Quæſtiones, ab una ſolutione, plures Solutiones, & ab una Demonſtratione complures invenire Demonſtrationes. Et tandem Particulare in Vniverſali invenire diſces, & evades Vniverſaliter ſcientificus. Vale.

****

DEVS

DEVS,

CVM TVA ALTISSIMA ET PROFVNDA VEritate incipit Liber Facilis Scientiæ.

DE PROLOGO.



Anifeſtum eſt, quòd unum oppoſitum cognoſcitur per alterum; & ideo intendimus facere iſtum Librum, vel Artem de Suppoſitionibus contradictoriis, ut cognoſcatur, quę Propoſitio ſit vera, & quę ſit falſa: & hoc intendimus exemplificare ad declarandam ſanctam Catholicam Fidem contra aliquos Philoſophantes dicentes, quòd Catholica Fides ſecundum modum intelligendi ſit impoſſibilis.

Subjectum verò hujus Libri eſt miſcere Principia, ut videatur, quid ſequatur in concluſione.

DE DIVISIONE HUJUS LIBRI.

ISte Liber dividitur in decem Partes, quæ ſunt hæ: Divina Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Intellectus, Voluntas, Virtus, Veritas, Glo-

Gloria, & Perfectio: & istæ Dignitates vel Rationes prædicantur de DEO, & una prædicatur de alia; & hoc sic: DEVS est Bonitas, Magnitudo, Æternitas, &c., Divina Bonitas est Magnitudo, Æternitas & è converso, mutando subjectum in prædicatum; & per talem veram & necessariam prædicationem potest Deus definiri, & quælibet ejus Ratio; & hoc sic:

2. Si quæratur, quid est Deus? respondeatur, quòd Deus est Bonitas, Magnitudo, &c. & si quæratur, quid est Divina Bonitas? respodeatur, quòd Divina Bonitas est Deus, & est Magnitudo Æternitas, & sic de aliis. Sed de nullo alio ente possunt esse tales definitiones, cum istæ sint supremæ, & permanentes in superlativo gradu: ergo ostenditur, per quem modum Deus potest definiri & suæ Rationes, & per consequens faciliter cognosci; & *applicatis ad propositum prædictis definitionibus cum suppositionibus contradictoriis faciliter potest cognosci, quæ suppositio est vera, & quæ est falsa; quia convenit, quòd illa suppositio sit vera, primitiva & necessaria, quæ stat pro prędictis definitionibus, & sua contraria suppositio sit falsa & impossibilis:* ergo ostenditur, per quem modum faciliter potest fieri Scientia de his, quæ prædicantur de Deo, & de suis Rationibus.

DE BONITATE.

SUppono, quòd sit bonum, magnum & verum,

(& ſic poteſt dici de aliis Rationibus, ſed ſolum de his trib⁹ exemplificatis causâ brevitatis) quòd nulla impoſsibilitas poſsit impedire majorem poſsibilitatem Bonitatis; & ſi ſua contraria ſuppoſitio ſit bona, magna, & vera, neceſſario ſequitur, quòd impoſsibilitas plus dicat, quàm poſsibilitas, quòd eſt falſum & impoſsibile; cùm poſsibilitas dicat habitum poſitivum, & impoſsibilitas privativum: ergo concluditur, quòd Divina Incarnatio & Creatio & Reſurrectio hominum & æterna Beatitudo ſint poſsibilia apud Deum, cùm ſint ſupremæ poſsibilitates, & hoc benè, magnè & verè, benè per Divinam Bonitatem, magnè per Divinam Magnitudinem, verè per Divinam Veritatem, cùm ſint Primæ Cauſæ.

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Bonitas ſit forma magìs activa, quàm materia prima paſsiva; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, materia prima plùs poteſt recipere Bonitatem quoad ſe, quàm Divina Bonitas infundere quoad ſe & propter ſe; quod eſt falſum & impoſsibile; aliter definitio Bonitatis & aliarum Rationum eſſent læſæ; quod eſt impoſsibile: ergo oſtenditur, quod Divina Bonitas poſsit benè, magnè & verè agere ſuper materiam primam ad placitum, & hoc miraculosè.

3. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Bonitas habeat correlativa, ut ſit diffuſiva

fusiva intrinsecè, & posit habere Naturam, & in se ipsa naturaliter quiescere; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessario sequitur, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd Divina Bonitas sit vacua & sinè Natura, nec habeat correlativa, sic quoad suam Naturam, sicut Divinus Intellectus quoad suam: ergo ostenditur, quòd in Divina Bonitate sunt tria correlativa, & per consequens Trinitas.

4. Suppono, quòd sit bonum, magnum & verum quòd Divina Bonitas habeat tantam Potestatem quoad se ipsam, quantam habet Divina Æternitas quoad se ipsam; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessariò sequitur quòd sit bonum, magnum & verum, quòd Divina Potestas sit divisa, infinita quidem quoad Æternitatem in duratione, finita autem quoad bonificationem, quod est falsum & imposibile; quia prædictæ definitiones essent læsę: ergo est demõstratum, quòd Divina Bonitas sit ita infinita in vigore quoad bonificationem, sicut quoad durationem.

5. Suppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd Divina Bonitas sit in tantum potens per Intrinsecam Operationem, quantum per suam Existentiam; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessario sequitur, quòd Divina Bonitas sit minùs potens, & quòd hoc sit bonum, magnum & verum; quod est falsum & imposibi-

le,

le: ex quo sequitur, quòd Divina Trinitas sit.

DE MAGNITVDINE.

1. SUppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd Divina Potestas sit tantum immensa per Magnitudinem, quantum Infinita Duratio per Æternitatem; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessario sequitur, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd ipsa sit finita; quod est falsum & impossibile: ergo ostenditur, quòd ipsa sit immensa.

2. Suppono, quod sit bonum, magnum & verum, quòd Divina Magnitudo sit absoluta existendo, & agendo; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, bonum, magnum & verum est, quòd sit finita, & impedita per aliquod impossibile quod est falsum, & impossibile: ergo ostenditur, quòd Divina Magnitudo sit infinita existendo & agendo, & per consequens Trinitas.

3. Suppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd nulla magnitudo sit maxima sinè maximare; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessariò sequitur, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd magnitudo sit magis maxima sinè maximare & sinè proprio objecto, quàm cũ maximare & proprio objecto; quod est falsum & impossibile: ergo concluditur, quòd in Divina Magnitudine sit maximare & proprium objectum, & per

consequens Divina Trinitas.

4. Suppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd Divina Magnitudo conversa cum Divina Bonitate, Æternitate, Potestate, Intellectu, Voluntate, Virtute, Veritate, Gloria & Perfectione nullo modo sit impedita, sed simpliciter absoluta & infinita; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, bonum, magnum & verum est, quòd non sit conversa cum prædictis, ut non sit absoluta & infinita; quod est falsum & impossibile: ergo ostenditur, quòd Divina Magnitudo sit infinita omnibus modis, & per consequens Trinitas; & quòd Divina Potestas, cum qua est couversa, sit infinita & absoluta.

5. Suppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd Divina Magnitudo habeat infinitam Naturam propter se, & propter Divinam Bonitatem, Æternitatem &c.; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, bonum, magnum & verum est, quòd non sit sufficiens Magnitudini Divinæ Bonitatis, Æternitatis &c., nec cum ipsis conversa; quod est falsum & impossibile: ergo ostenditur, quòd Divina Magnitudo habeat infinitam actionem, contra quam nullum impossibile nec possibile potest agere.

DE ÆTERNITATE.

1. SUppono, quòd sit bonum, magnum & verum

illud,

illud, per quod Divina Unitas & Æternitas habeant majorem convenientiam invicem, ut ſint unum Ens ſingulare, abſolutum; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſario ſequitur, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd ſint diverſæ eſſentiæ una ſeparata ab alia, quod eſt falſum & impoſsibile: ergo concluditur, quòd, ſicut eſt una ſingularis abſoluta Unitas, ſic una ſigularis abſoluta Æternitas; ex quo ſequitur, quod mundus non ſit æternus; quia ſi ſic, eſsent plures æternitates.

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod Divina Æternitas eſt magis abſoluta; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera ſequitur, quòd hoc ſit bonum, magnum & verum, per quod eſt minùs abſoluta; quod eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demonſtratum hoc, per quod eſt magis abſoluta; ex quo ſequitur, quòd habeat correlativa abſoluta, ſinè quibus non poſſet eſſe abſoluta: ergo cõcluditur Divina Trinitas.

3. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod Divina Poteſtas ſit tantum propter Divinam Magnitudinem, quantum propter Divinam Æternitatem; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, bonum magnum & verum eſt, quòd Divina Poteſtas, Magnitudo & Æternitas non participent æqualiter propter finem; quod eſt falſum & impoſsibile: ergo concluditur, quòd Di-

vina Poteſtas ſit ita infinita quoad magnificationem, ſicut quoad durationem; & quód Magnitudo ſit ita infinita ſuo modo, ſicut Æternitas ſuo modo.

4. Suppono, quód ſit bonum, magnum & verum, quód mundus non ſit æternus; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſario ſequitur, quód ſit bonum, magnum & verum, quód nõ ſit Incarnatio, Reſurrectio, nec æterna Beatitudo; quod eſt falſum & impoſsibile.

5. Suppono, quód ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod duratio mundi magis dependet ab Æternitate Dei; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſarió ſequitur, quód ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod Divina Æternitas ſit minus gubernans Vniverſum; quod eſt falſum & impoſsibile: ergo oſtenditur, quód mundus ſit novus.

DE POTESTATE

1. SUppono, quód ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod Deus poſsit exiſtere & agere per ſe, propter ſe, in ſe ipſo, de ſe ipſo, & cum ſe ipſo; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſarió ſequitur, quód ſit aliquod ens ſuperius impediens Deum, quod ſit ejus cauſa; quod eſt impoſsibile, cùm omne poſsibile & impoſsibile ſint effectus Divinæ Poteſtatis; ergo concluditur,

quod

quód Divina Poteſtas ſit abſoluta, & quód Deus poſsit exiſtere & agere ſinè Angelo, Cœlo & hujuſmodi.

2. Suppono, quód ſit bonum, magnum & verum, quód Divina Poteſtas comprehendat totum Vniverſum ſubjectivè, & objectivè; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quód ſit aliquod ens in Vniverſo impediens Divinam Poteſtatem, ut non ſit Cauſa Vniverſi; quod eſt falſum & impoſsibile: ergo probatum eſt quód Deus ſit Cauſa effiiciens.

3. Suppono, quód ſit bonum, magnum & verum, quód nullum impoſsibile poſsit impedire Divinam Poteſtatem, quin habeat bonum, magnum & verum poſsibile; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſsarió ſequitur, quòd ſit bonum, magnum & verum impedire bonum, magnum & verum poſsibile Divinæ Poteſtatis; quod eſt falſum & impoſsibile: ergo oſtenditur, quód Incarnatio, Creatio, ſempiterna Beatitudo &c. ſũt poſsibilia apud Deum.

4. Suppono, quód non ſit bonum, magnum nec verum, quód Divina Poteſtas aliquo modo ſit finita; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna, & vera, bonum, magnum & verum eſt, quod ſit maximè finita; quód eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demonſtratum, quód ſit infinita, & quód Deus poſſit creare & reſuſcitare & hujuſmodi.

5. Suppono, quód sit bonum, magnum & verum; quód Divina Potestas posit annihilare omnes alias potestates, quarum est finis; & si contraria suppositio sit bona & vera, necessarió sequitur, quód sit bonum, magnum & verum hoc, per quod ea, quorum est finis, necessitant ipsam, quòd sit finis eorum; quod est falsum & impossibile: ergo ostenditur; quód Divina Potestas possit annihilare omnes alias potestates.

DE INTELLECTV.

1. SVppono, quód sit bonum, magnum & verum, quód intellectus possibilis non sit de genere actionis; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessarió sequitur, quòd intellectus agens sit de genere passionis; quod est falsum & impossibile: ergo ostenditur quód intellectus possibilis non possit esse unus in numero in omnibus hominibus, quia esset intellectus agens.

2. Suppono, quód sit bonum, magnum & verum, quód humanus intellectus intelligat magis bene, magnè & verè objectando Deum, & suas Rationes, quàm objectando sensibilia & imaginabilia; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessarió sequitur, quód magis intelligat per causas inferiores, quàm per superiores; quód est falsum & impossibile: ergo ostenditur, quód Scientia facta per superiores causas sit una scientia

tia per se separata á scientia, quæ est facta per inferiores causas.

3. Suppono, quód sit bonum, magnum & verũ, quòd intellectus faciat magis verè scientiam superiorem cum habitu Fidei, quàm faciat scientiam inferiorem sinè habitu Fidei; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessarió sequitur contradictio, quæ non potest stare: ergo ostenditur, quód intellectus intelligendo cum habitu Fidei posſit intelligere & credere, tamen aliter & aliter.

4. Suppono, quód sit bonum, magnum & verũ, quòd intelligere Dei sit realis Relatio inter Intelligentem & Intelligibilem, & per consequens Distinctio; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessarió sequitur, quòd ipsum intelligere sit indeterminatum & confusum, quæ indeterminatio sit bona, magna, & vera; [cùm, quidquid sit in Intelligere DEI sit bonũ, magnum & verum] quod est falsum & impoſsibile: ergo est Divina Trinitas.

5. Suppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd sit æterna Beatitudo, ut quilibet intellectus Beati habeat objectum æviternum; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessariò sequitur, quòd non sit beatitudo, nisi in hac vita; quod est falsum & impoſsibile, & contra Divinam Bonitatem, Magnitudinem &c.

DE VOLVNTATE.

1. SVppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Voluntas diligat in Divina Bonitate proprium Objectum, ſcilicet Bonificantem, Bonificatum & Bonificare; & in Divina Magnitudine Magnificantem, Magnificatum & Magnificare, & ſic de aliis; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ipſa Voluntas non ſit bona, magna nec vera; quod eſt falſum & impoſsibile: ergo oſtenditur, quòd Divina Uoluntas diligat in omnibus Dignitatibus DEI Objecta & Actus proprios.

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Voluntas diligat, quòd Divina Magnitudo ſit infinita, & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd habeat in ſe finitatem ſuorum Correlativorum, quæ ſinè infinita Magnitudine non poſſent eſſe infinita: ergo oſtenditur, quòd Divina Magnitudo ſit infinita.

3. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quód Divina Voluntas tantum diligat Divinam Poteſtatem, quantum diligit Divinam Æternitatem; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, ſequitur, quòd Poteſtas non poſsit ei ſufficere quoad infinitam Amationem, cùm Poteſtas non poſſet habere per ſe infinitam poſsificationem, quod eſt falſum & impoſsibile: ergo oſtenditur, quód

quòd Divina Voluntas diligat, quòd Potestas sit infinita quoad posſificationem, ſicut quoad æternificationem.

4. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Divina Voluntas diligat, quòd ſit infinita in tantum quoad bonificationem, quantum quoad volitionem; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd diligat, quòd non ſit perfectè bona; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd Divina Bonitas tantum objectet Divinam Voluntatem ſuo modo, ſicut è converſo.

5. Suppono, quòd hoc ſit bonum, magnum & verum, per quod Divina Voluntas diligit Divinum Intellectum objectantem Divinam Bonitatem tantum, quantum objectat Divinam Voluntatem; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, bonum, magnum & verum eſt, quòd Divina Voluntas non diligat perfectè Divinum Intellectum, nec Divinam Bonitatem; quod eſt falſum & impoſſibile: ergo oſtenditur, quòd Divina Bonitas habeat in ſe ſic correlativa propter ſe, ſcilicet Bonificativum, Bonificabilem & Bonificare, ſicut Divinus Intellectus & Divina Voluntas habent Correlativa pro ſe ipſis.

DE VIRTVTE.

1. SVppono, quòd ſit bonum, magnum & verum,

quòd

quòd humanus intellectus per ſuam virtutem & habituatus de habitu Fidei ſic ſe habeat ad attrahendum Divinas Similitudines de, Deo ſicut ſe habet ad attrahendum ſenſibiles ſimilitudines de corpore per ſenſum, & imaginabiles per imaginationem; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quód ſit magis virtuoſus objectivè per ſenſum & per imaginationem, quàm per Divinas Rationes; quod eſt falſum & impoſsibile: ergo oſtenditur, quòd intellectus habeat virtutem ad faciendum ſcientiam de Similitudinibus Dei.

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quód Deus ſit & multo magis virtuosè ſe vertat ad humanum intellectum cum omnibus ſuis Dignitatibus, ſicut intellectus ad ipſum cum omnibus ſuis potentiis; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, Deus ſe habet erga intellectum vitiosè, & intellectus erga Deum virtuosè; quod eſt falſum & impoſsibile: ergo oſtenditur, quòd Deus ſit cognoſcibilis, & quòd intelligat omnia particularia.

3. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verũ, quòd Deus habeat proprium ſubjectum & objectum; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, virtuoſum eſt, quòd Deus habeat carentiam exiſtendi & agendi, & vitioſum eſt, quòd habeat exiſtentiam & agentiã quoad ſuas Rationes; quod

est falsum & impossibile: ergo ostenditur, quòd sit Productio in Divinis.

4. Suppono, quód sit bonum, magnum & verum, quód nulla virtus inferior possit impedire superiorem, sed è converso; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera necessariò sequitur, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd virtutes inferiores dominentur supra superiores; quod est falsum & impossibile: ergo ostenditur, quód Divina Virtus sic sit causa prima effectivé, sicut finaliter.

5. Suppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quód Divina Potestas sit tantum virtuosa propter se & propter Divinam Bonitatem & Magnitudinem, quantum propter Æternitatem, Intellectum, & Voluntatem; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessariò sequitur, quòd sit vitium bonum, magnum & verum, quidquid est in Divina Bonitate, Magnitudine, Æternitate, Potestate, Intellectu, & Voluntate; quod est falsum & impossibile: ergo ostenditur, quòd Divina Potestas habeat infinitam Virtutem considerando omnibus modis.

DE VERITATE.

1. Suppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd Deus formaliter sic se vertat ad omne *esse* verificando, sicut intelligendo; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessarió sequitur, quód Divinus Intellectus attingat objectũ

intelligendo extra actum veritatis; quod est falsũ & impossibile: ergo ostenditur, quòd omnia tam particularia, quám universalia á Divino Intellectu verè sint objectabilia.

2. Suppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd nullum ens sit sinè actu veritatis; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessariò sequitur, quòd Divina Veritas aliquo modo sit otiosa; quod est falsum & impossibile: ergo ostenditur, quòd Divina Veritas sic sit universaliter causa effectiva, sicut finalis.

3. Suppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd Divina Veritas sub impossibili non possit habere passionem; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessariò sequitur, quód sit bonum, magnum & verum, quòd impossibilitas sit sua causa; quod est falsum & impossibile: ergo ostenditur quòd Divina Veritas sit absoluta intrà & extrá.

4. Suppono, quód sit bonum, magnum & verũ, quód Divina Veritas sit infinita; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessariò sequitur, quòd sit bonum, magnum & verum hoc, per quod Divina Veritas est magis finita; quod est falsum & impossibile: ergo ostenditur, quòd Divina veritas sit infinita, & quòd omne ens verum extrinsecum sit ab ipsa verificatum subjectivè & objectivè.

5. Suppono, quód ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod Divinæ Rationes poſsunt habere magis verè actus proprios; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſarió ſequitur, quód Divinæ Rationes careant propriis actibus, & quód ipſa carentia ſit bona, magna & vera, quód eſt falſum & impoſsibile: ergo oſtenditur, quòd Divinæ Rationes non tantum habeant proprios actus quoad nos, ſed etiã quoad ſe ipſas.

DE GLORIA.

1. SUppono, quòd ſit bonum, magnum & verum hoc, per quod Deus magis ſe habet erga ſuos amicos glorificando gratiosè, juſtè, & miſericorditer; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſe habeat erga ipſos malè, falsè & injuſtè, & erga ſuos inimicos benè, magnè & verè, quod eſt falſum & impoſsibile: ad conſequentiam autem iſtius impoſsibilitatis ſequitur, quòd mundus ſit novus, & quòd gloria Beatorum ſit æviterna.

2. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd Angeli ſint magis propter ſe ipſos, quã propter cœlum; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, necesſariò ſequitur, quòd Angelus ſit magis glorioſus propter motum cœli, quàm propter objectare Deum & ſe ipſum, intelligendo, recolendo, & amando, quod eſt falſum & impoſsibi-

le: ergo ostensum est, quòd Angelus non sit propter motum Cœli.

3. Suppono, quód sit bonum, magnum & verum, quòd Angelus sit factus à DEO; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessarió sequitur, quód sit bonum, magnum & verum hoc, per quod Angelus est minùs dispositus ad recipiendum majorem gloriam á DEO, & per quod magís est separatus ab ipso, quod est falsum & impossibile; quia factio disponit, quód totus Angelus sit gloriosus quoad suam essentiam & agentiam, non autem quoad suam æternitatem, posito, quòd sit æternus.

4. Soppono, quód sit bonum, magnum & verum hoc, per quod homo magìs potest intelligère, recolere & diligere Divinam Gloriam & suámmet gloriam; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessariò sequitur, quòd sit bonum, magnùm & verum, quòd Angelus habeat majorem gloriam non objectando DEVM & non objectando seipsum, quám objectando; quod est falsum & impossibile: ad consequentiã istius sequitur, Divina Trinitas, Incarnatio, Resurectio, Creatio & hujusmodi.

5. Suppono, quòd non sit bonum, magnum nec verum, quòd sit unus intellectus in numero in omnibus hominibus; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessariò sequitur, quód sit

bonum, magnum & verum hoc, per quod DEVS ſit minùs glorians, minús amans, & quòd ſua Gloria ſit minús intellecta & dilecta; quod eſt falſum & impoſsibile: ergo oſtenditur, quód intellectus ſit particularis & conjunctus cum tempore hominis.

DE PERFECTIONE.

1. SUppono, quód ſit bonum, magnum & verũ, quòd mundus non ſit æternus; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, bonũ, magnum & verum eſt, quòd Deus non poſsit perficere mundum, qui eſt imperfectus, cùm perficere imperfectum non poſsit eſſe ſinè additione perfectionis, quæ additio non eſt de genere æternitatis; & cum hoc ſit falſum & impoſsibile, probatum eſt, quod mundus ſit novus.

2. Suppono, quód ſit bonum, magnum & verũ, quód omne illud, quod dependet à poſsibili & impoſsibili, ſit imperfectum; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſariò ſequitur, quòd omne contingens ſit perfectum; quod eſt falſum & impoſsibile, quia Deus eſt Ens perfectum: ergo eſt probatum, quòd omne ens abſolutè loquendo ſit à contingentia præter Deum.

3. Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verũ, quòd Deus ſit Cauſa perfectiſsima; & ſi contraria ſuppoſitio ſit bona, magna & vera, neceſſarió ſequitur, quòd nullus effectus ſit perfectus, cùm

causa & effectus relativè se habeant; & sequitur, quòd, si mundus non est factus, Deus non sit Causa perfectissima; quod est falsum & impossibile: ergo est probatum, quòd Deus sit Causa perfectissima ratione finîs & effectûs.

4. Suppono, quòd sit bonum, magnum & verũ, quòd Divina Philosophia sit primitiva, vera & necessaria ad intelligendum Philosophiam naturalẽ; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessariò sequitur, quòd intellectus sit altior & perfectior in faciendo scientiam per ea, quæ sunt inferiora, quàm per ea, quæ sunt superiora; quod est falsum & impossibile: ergo est ostensum, quòd intellectus sit verior & perfectior extra sensum & imaginationem, quám cum sensu & imaginatione in faciendo scientiam.

5. Suppono, quód sit bonum, magnum & verum, quòd intellectus hominis habeat intrinseca correlativa; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera, necessarió sequitur, quód habeat majorem naturam & perfectionem intelligendi extrinsecè, quám intrinsecè; quod est falsum, & impossibile: ergo est ostensum, quòd intellectus habeat tria correlativa, scilicet intelligentem, intelligibile & intelligere.

Perfectus est Liber, & data est Doctrina, per quem modum faciliter possit generari scientia, & hoc sub conditionibus Divinarum Rationum, ut

in Prologo dictum est; tenendo modum secundū ea, quæ dicta sunt, ad faciendum scientiam de his, quæ non sunt dicta.

Ad laudem & honorem DEI finivit Raymundus istum librum Parisiis Mense Junii Anno M.CCC.XI. Incarnationis Domini nostri JESV Christi.



BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI ET MARTYRIS, QUÆSTIONES SUPRA LIBRUM FACILIS SCIENTIÆ.

DEVS CVM TVA BENEDICTIONE ET VIRtute incipiunt Quæstiones supra Librum Facilis Scientiæ.

DE PROLOGO.



Uoniam Liber Facilis Scientiæ est Ramusculus *Artis Generalis*, ideo facimus Quæstiones de novẽ, Subjectis, in quæ cadit, quidquid est, quę sunt hæc: Deus, Angelus, Cœlum, Homo, Imaginatio, Sensus, Vegetativa, Elementativa, & Instrumentativa; & de istis intendimus facere Quæstiones, & applicabimus ipsas ad *Librum Facilis Scientiæ* tali modo, quòd per Doctrinam, quam dabimus, homo poterit solvere alias peregrinas Quæstiones factas per novem Subjecta.

DE DIVISIONE HVIVS LIBRI.

ISte Ramusculus dividitur in novem Partes, videlicet in Quæstiones factas de Deo, de Angelo, de Cœlo, de Homine, de Imaginativa, de Sensitiva, de Vegetativa, Elementativa & Instrumentativa; & primó de prima Parte.

DE QVÆSTIONIBVS DEI.

1. VTrùm Deus sit? *Solutio:* suppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd Deus sit; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera; bonum, magnum & verum est, quod ipse non sit; quod est falsum & impossibile; & *in Capite de Bonitate* dicit prima Ratio, quòd nullum impossibile possit impedire majus possibile Bonitatis: quod impossibile impediret, si Deus non esset; quod est impossibile: ergo probatum est, quòd Deus sit.

2. Vtrùm Deus possit agere miraculosè? *Solutio*. Suppono, quòd sit bonum, magnum & verum, quòd Deus possit agere miraculosè; & si contraria suppositio sit bona, magna & vera; bonũ, magnum & verum est, quòd sua Potestas sit restricta, finita, & impedita; quod est falsum & impossibile: & vade *ad secundum* §. *de Bonitate fol.* 3. & ibi invenies solutionem implicatam.

3. Posito, quòd verè & necessariò possint solvi omnes Objectiones, quæ possunt fieri contra sanc-

tam Catholicam Fidem, & quòd verè & necessariò possint solvi omnes Objectiones, quæ factæ sũt contra Infideles; Quæritur, utrùm implicaretur contradictio? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic, ùt patet *in tertio* §. *Capitis de Bonitate fol.* 3. quia si utraque solutio sit bona, magna & vera, necessariò sequeretur, quòd id, quod est bonum, esset malum; & quòd id, quod est magnum, esset parvum; & quod est verum, esset falsum; quod est contradictio: & sic potest dici, quòd esset bonum, magnum & verum, quòd Divina Bonitas haberet & non haberet correlativa; quod est contradictio.

4. Vtrúm Deus sit infiniti vigoris? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic, ut patet *in quarto* §. *Capitis de Bonitate*, quia si non, contrariæ suppositiones non implicarent contradictionem; quòd est impossibile.

5. Vtrùm Divina Bonitas possit esse tantum diffusa in se ipsa, quantum est sua Essentia? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic, & vade *ad quintum* §. *in Capite de Bonitate fol.* 4. aliter implicaretur contradictio.

Diximus de Quæstionibus Dei applicatis *Capiti de Bonitute*; hoc etiam potest fieri de Quæstionibus applicatis *Capiti de Magnitudine*, *Æternitate &c.*

DE QVÆSTIONIBVS ANGELORVM.

INtendimus facere Quæstiones Angelorum quo-

ad ea, quę ponũtur in *Cap. de Bonitate*; ut videatur quòd ea, quæ diximus in illo Capite, sint cõmunia ad solvendũ Quæstiones factas de Deo, de Angelo, & sic de aliis subjectis, de quolibet suo modo; & sicut datur exemplũ per *Cap. de Bonitate*, ita potest dici de *Capite Magnitudinis*, *Æternitatis* &c.: unde, cùm hoc ita sit, est ostensum, quòd ista Ars habeat magnum ambitũ ad solvendũ multas Quæstiones.

1. Vtrùm, sint Angeli? *Solutio.* Dico, quòd sic; & vade ad primã rationem *in Cap. de Bonitate, fol.* 3. ubi dicitur quód nulla impossibilitas possit impedire majorẽ possibilitatẽ bonitatis, quę impossibilitas impediret majorẽ possibilitatẽ Bonitatis, si nõ essent Angeli; quod est contradictio: ergo est probatum, quòd sint Angeli.

2. Vtrùm Deus potuerit producere vel creare Angelos miraculosè? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic, & vade ad *secundum* §. *in Capite de Bonitate fol.* 3. in quo solutio est implicata.

3. Vtrùm Divina Bonitas sit perfectum objectũ Angelorum? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic; & vade ad *tertium* §. *in Capite de Bonitate fol.* 3. in quo invenies solutionem implicatam.

4. Vtrùm Divina Æternitas habeat majorem Potestatem in gubernando Angelum, quám Divina Bonitas in bonificando? *Solutio.* Respondendum est, quòd non, & vade ad *quartum* §. *in Capite de Bonitate, fol.* 4. in quo invenies solutionem implicatam.

5 Vtrum

5. Vtrùm Angelus ſit tantum potens quoad ſuũ agere, quantum quoad ſuum exiſtere? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd non; quia, ſi ſic, eſſet nimìs ſimilis Deo, & eſſet impoſsibile, quòd Deus eſſet finis ejus, & Factor ejus; quæ impoſsibilitas ſe haberet in plus, quám major poſsibilitas bonitatis; quod eſt impoſsibile.

DE QVÆSTIONIBVS COELI.

INtendimus applicare Quæſtiones Cœli ad *Caput de Magnitudine*, in quo ſunt implicatę ſolutiones Quæſtionum Cœli & hoc ſic:

1. Vtrùm Divina Poteſtas poſsit extendere Cœlum in infinitum? *Solutio.* Suppono, quòd ſit bonum, magnum & verum, quòd hoc poſsit quoad ſe, non quoad Cœlum; veruntamen etiam quoad Cœlum, ſi eſſet æternum; quia ſi eſſet immenſum & remotũ á quantitate, ſic eſſet æternũ & remotum á novitate; quod eſt impoſsibile, cùm ſit corpus & habituatum de motu; & vade ad primam Rationem *in Capite de Magnitudine, fol.* 5.

2. Vtrúm Cœlum poſſet impedire Magnitudinem Divinę Poteſtatis? *Solutio.* Reſpondeo, quòd ſic, ſi ſecunda ſuppoſitio eſt vera, quæ veritas eſt impoſsibilis; & hoc ideo, quia ſequeretur contradictio, & vade ad *ſecundum Paragraphum in Capite de Magnitudine, fol.* 5.

3. Vtrùm Cœlum ſit magnum ſinè proprio mo-

tu

tu? *Solutio.* Respondendum est, quòd non quoad agentiam; & vade ad *tertium Paragraphum Capite de Magnitudine, fol.* 5.

4. Vtrùm innata principia Cœli convertantur ad invicem? *Solutio.* Respondeo, quòd sic, si Cœlum sit æternum, & si contradictio sit posibilis; & vade ad *quartum Paragraphum ejusdem Capitis, fol.* 6.

5. Posito, quód Cœlum sit æternnm, quæritur, utrùm habeat infinitam naturam? *Solutio.* Respondeo, quòd sic, & non, quod est contradictio, hoc est, quia limitaret infinitam Naturam Dei, & è converso; & vade ad *quintum Paragraphum Capitis de Magnitudine, fol.* 6.

DE QVÆSTIONIBVS HOMINIS.

INtendimus applicare Quæstiones factas de Homine ad *Caput de Æternitate* & illas solvere per ea, quæ sequuntur in eodem capite.

1. Vtrùm forma & materia hominis magis participent cum Divina Vnitate & Æternitate, posito, quòd sint factę à Deo? *Solutio.* Respondendũ est, quòd sic, quia non sunt æternæ, nec gubernant se ipsas; & vade ad primam Rationẽ in *Capite de Æternitate, fol.* 6. in qua solutio est implicata.

2. Vtrúm intellectus Platonis sit particulatus? *Solutio.* Respondendum est, quód sic, ratio hujus est, quia Deus est magis objectatus, scilicet intel-

lectus

lectus per plures intellectus, quàm per unũ intellectum in omnibus hominibus, & vade ad *secundũ Paragraphum Æternitatis, fol.* 7. in quo solutio est significata.

3. Vtrúm Deus habeat tantam Potestatem in homine quoad suam Bonitatem, quantam quoad suam Æternitatem? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic; quia si non, esset magìs causa finalis quoad Æternitatem, quám quoad Bonitatem, & implicaretur contradictio, ut patet in *tertio Paragrapho in Capite de Æternitate fol.* 7.

4. Vtrùm sit posibile, quód sit Resurrectio hominum? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic; aliter sequeretur contradictio, quæ contradictio est significata *in quarto Paragrapho in Capite de Æternitate.*

5. Vtrúm sit bonum, magnum &c. id, per quod homo magis dependet à Deo? *Solutio.* Dico, quód sic, & hoc cuilibet intuenti est manifestum in *quinto Paragrapho in Capite de Æternitate, fol.* 7.

DE QVÆSTIONIBVS IMAGINATIONIS.

Quæstiones & solutiones Imaginationis applicabimus ad *Caput de Potestate*, quia per ea, quæ manifestantur in illo Capite, sunt quæstiones solubiles.

1. Vtrúm Deus faciat motum Imaginationis? *Solutio.* Respondendum est, quód sic; quia si non

impli-

implicaretur contradictio, & esset bonum, magnum & verum, quòd faceret, & quòd non faceret, ut patet in prima Ratione *in Capite de Potestate*.

2. Vtrúm Deus cum sua Potestate comprehendat totam essentiam Imaginationis & accidentia ejus? *Solutio*, Respondendum est, quòd sic; & hoc idèo, quia bonum, magnum & verum est; & vade ad *secũdum Paragraphũ in Capite de Potestate fol.* 8.

3. Vtrúm impossibile, quodcumque sit, possit impedire possibilitatem Divinæ Potestatis? *Solutio*. Respondendum est, quòd non; ratio hujus est, quia esset malum & falsum; & vade ad *tertium Paragraphum in Capite de Potestate, fol.* 8. secundúm quod implicaretur contradictio.

4. Posito, quòd homo mortuus resurgat de morte ad vitam, utrúm Deus posset resuscitare illam eandem Imaginationem, quam habebat in hac vita? *Solutio*. Respondendum est, quòd sic; ratio hujus est, quia bonum, magnum & verum est, & vade ad *quartum Paragraphum in Capite de Potestate fol*. 8.

5. Vtrúm Deus posset annihilare naturalem potentiam, quam habet Imaginatio? Respondendũ est, quód sic, ut patet in *quinto Paragrapho in Capite de Potestate*.

DE QVÆSTIONIBVS SENSITIVÆ.

QVæstiones Potentiæ Sensitivæ applicabimus

ad Caput de Intellectu, & hoc ideo, quia in ipso apparebunt solutiones.

1. Vtrúm sit Sensus agens? *Solutio*. Respondendum est, quòd sic; ratio hujus est, quia bonum, magnum & verum est, quòd sit agens; & vade ad primam Rationem *in Capite de Intellectu, fol.* 10.

2. Vtrúm humanus intellectus posit facere veriores & altiores scientias cum particularibus sensibus, quám cum Divinis Rationibus? *Solutio*. Respondendum est, quòd non; ratio hujus est, quia esset magnum malum, & falsum; & vade ad *secūdum Paragraphum, in Capite de Intellectu, fol.* 10.

3. Vtrúm intellectus posit facere scientiam extra sensum? *Solutio*. Respondendum est, quòd sic; aliter intellectus non posset facere verã scientiã de Deo, nec de separatis substãtiis, cúm non sint objectum sensûs; & vade ad *tertium Paragraphũ in Capite de Intellectu, fol.* 10.

4. Vtrúm sensus particulatus habeat correlativa sibi connaturalia? *Solutio*. Respondendum est, quód sic; aliter non attingeret objectum in sua essentia; & vade ad *quartum Pàragraphũ in Capite de Intellectu, fol.* 10.

5. Utrúm mortuo animali annihiletur ejus sensus? *Solutio*. Respondendum est, quòd non; ratio hujus est, quia bonum, magnũ & verum est, quód potentia sensitiva sit una pars generalis universi, sicut est bonum, magnum & verum, quód sit pri-

ma forma & prima materia; vade ad *quintum Paragraphum in Capite de Intellectu, fol.* 10.

DE QVÆSTIONIBVS VEGETATIVÆ.

QVæstiones Potentiæ Vegetativæ applicabim⁹ ad *Caput de Voluntate*, & hoc ideo, quia in ipso apparent earum solutiones.

1. Vtrúm Vegetativum sit proprium objectum, scilicet optatum? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic; quia bonum, magnum & verum est; & vade ad primam Rationem *in Capite de Voluntate, fol.* 12.

2. Vtrùm Vegetativa sit potentia absoluta? *Solutio.* Respondendum est quòd sic; quia bonum, magnum & verum est, cúm sit causa omnium vegetabilium; & vade ad *secundum Paragraphum in Capite de Voluntate fol.* 12.

3. Vtrùm Vegetativa tantum appetat suam potestatem, quantum appetit suam durationem? *Solutio.* Respondendum est, quód sic, quia bonum, magnum & verum est, ut apparet *in tertio Paragrapho de Voluntate.*

4. Vtrùm Vegetativa habeat ita magnum instinctum quoad se ipsam in bonificando plantam, quám in magnificando ipsam? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic, quia bonum, magnum & verum est, út apparet *in quarto Paragrapho in Capite de Voluntate, fol.* 12.

5. Vtrúm Vegetativa æqualiter appetat actus secundarios suorum principiorum innatorum? *Solutio.* Respondendum est, quód sic; quia talis appetitus est bonus, magnus & verus, ût apparet *in quinto Paragrapho in Capite de Voluntate.*

DE QVÆSTIONIBVS ELEMENTATIVÆ.

QVæstiones Elementativæ applicabimus ad *Caput de Virtute*; quia in ipso sunt manifestæ solutiones earum, & contrariæ solutiones implicarent contradictionem.

1. Utrùm intellectus ita verè cum habitu Fidei cognoscat Deum, sicut cum sensu cognoscit elementum vel elementatum? *Solutio.* Respondendum est, quód sic; quia bonum, magnum & verum est, & suum oppositum esset malum & falsum; & vade ad primam Rationem *in Capite de Virtute, fol.* 13.

2. Vtrùm Deus magis descendat ad illuminandum intellectum de se ipso, quám intellectus ad sensum ad faciendum scientiam de elementis vel elementatis? *Solutio.* Respondendum est, quòd sic; ratio hujus est, quia bonum, magnum & verũ est; & vade ad *secundum Paragraphum in Capite de Virtute fol.* 14.

3. Vtrùm potentia elementativa habeat proprium subjectum & objectum, videlicet subjectum elementando, & objectum optatum elementatum?

 Solutio.

Solutio. Respondendum est, quód sic; ratio hujus est, quia bonum, magnum & verum est; & vade ad *tertium Paragraphum in Capite de Virtute, fol.* 14.
4. Utrùm virtus potentiæ elementativæ possit impedire virtutem potentiæ vegetativæ? *Solutio.* Respondendum est, quód sic, materialiter & per accidens, non autem formaliter; quia forma inferior non potest impedire formam superiorem, & hoc bonum, magnum & verum est; & vade ad *quartum Paragraphum in Capite de Virtute, fol.* 15.
5. Utrùm potentia elementativa sit tantúm potens quoad suam bonitatem, quantùm quoad suam potestatem? *Solutio.* Respondendum est, quód non; ratio hujus est, quia unum suorum principiorum innatorum non potest prædicari de alio: quia si sic, essent nimis similia Divinis Rationibus, quarum una prædicatur de alia; & hoc bonum, magnum & verum est; & vade *ad quintum Paragraphum in Capite de Virtute fol.* 15.

DE QVÆSTIONIBVS VIRTVTVM moralium.

IStæ Quæstiones sunt de numero novem subjectorum, scilicet de Instrumentativa, & applicabimus ipsas ad *Caput de Veritate*; & hoc sic.
1. Vtrùm Deus tantum utatur suâ Veritate ad verificandum morales Virtutes, quantum utitur suo Intellectu ad intelligendũ ipsas? *Solutio.* Respondendum

pondendum eſt, quòd ſic; quia in Deo Bonitas, Veritas & Intellectus convertuntur; & vade ad *primam Rationem in Capite de Veritate fol.* 15.

2. Utrùm Juſtitia, Prudentia &c. ſint ſinè actu veritatis? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quód non; quia ſequeretur contradictio, ſcilicet, quòd eſſent veræ & non veræ; & vade ad *ſecundum Paragraphum in Capite de Veritate fol.* 16.

3. Utrùm virtus ſit magis poſsibilis, quám peccatum? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd ſic; quia Virtus dicit verum poſitivum, & peccatum privativum; & vade ad *tertium Paragraphum in Capite de Veritate fol.* 16.

4. Vtrùm veritas Virtutum ſit proprius actus Divinæ Veritatis? *Solutio.* Reſpondēdum eſt, quòd ſic; quia Divina Veritas agit immediatè in cauſando veritates Virtutum, & homo per conſequens utitur ipſis; & vade ad *quartum Paragraphū in Capite de Veritate fol.* 16.

5. Utrùm Fides ſit habitus nocivus intellectui, qui intelligit Deum, & Charitas voluntati, quæ diligit Deum? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd non; quia ſi ſic, Fides & Charitas eſſent bonæ & non bonæ, magnæ & non magnæ, quod eſt contradictio; & vade ad *quintum Paragraphum in Capite de Veritate, fol.* 17.

DE QVÆSTIONIBVS VITIORVM.

QVæſtiones vitiorum intendimus applicare ad *Caput de Gloria*; & hoc ſic:

1. Utrùm Peccator aliquo modo ſit in gratia Dei? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd non; ratio hujus eſt, quia Deus non benè, magnè & verè poſſet ei parcere peccata; & vade ad *primam Rationem in Capite de Gloria, fol.* 17.

2. Vtrùm Angelus poſsit eſſe malus per peccatum? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd ſic; quia per hoc quód eſt de nihilo, poteſt ſe difformare contra finem, quare eſt, poſito tamen, quód non ſit confirmatus, nec ſuſtentatus in gratia Dei; & vade ad *ſecundum* §. *in Capite de Gloria fol.* 17.

3. Vtrùm ſit bonum, magnum & verum, quòd peccatum ſit factum á Deo? *Solutio.* Reſpondendum eſt quód non; quia ſi ſic, bonum, magnum & verum eſſet, quòd Virtutes nõ eſſent factæ á Deo, quod eſt falſum & impoſsibile; & vade ad *tertiũ Paragraphum in Capite de Gloria, fol.* 18.

4. Vtrùm homo in ſciendo & amando Divinam Trinitatem cum Virtutibus ſit in peccato? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quòd non; quia ſi ſic, ſequeretur contradictio; & vade ad *quartum Paragraphũ in Capite de Gloria, fol.* 18.

5. Vtrùm Deus poſſet creare aliquid contra ſuam Intelligibilitatem & Amabilitatem? *Solutio.* Reſpondendum eſt, quód non; quia ſi ſic, ſeque-

retur contradictio, quòd esset bonus, & non bonus, magnus & non magnus &c; quod est falsũ & impossibile: & vade *ad quintũ* §. *in Cap. de Gloria. fol.* 18.

Dictum est de Quæstionibus novem Subjectorum deductis per novem Principia *Libri Facilis Scientiæ*; & sicut solvimus prædictas Quæstiones cum ipsis Principiis, sic possunt solvi aliæ peregrinæ quæstiones. Quæstiones autem de *Capite Perfectionis* intendimus facere, ut demus doctrinam, per quem modum aliæ quæstiones posſint solvi.

DE QVÆSTIONIBVS PERFECTIONIS.

VTrùm sit bonum, magnum & verum, quòd Deus posſit magis perficere intellectum cum *intelligere*, quàm cum *credere? Solutio.* Est respondendum, quòd sic; ratio hujus est, quia *intelligere* est similitudo Divini Intellectûs, qui intelligit, *credere* autem est suum disſimile; & hoc ideo, quia Deus non credit; & vade ad *primam Rationem in Capite de Perfectione. fol.* 19.

2. Vtrùm mundus sit de necesſitate, vel á contingentia? *Solutio.* Respondendum est, quòd á cõtingentia. Ratio hujus est, quia dependet á posſibili & imposſibili; & vade ad *ad secundum Paragraphum in Capite de Perfectione fol.* 18.

3. Utrùm sit perfectisſimus effectus, scilicet humana Natura Christi conjuncta cum Divina Natura? *Solutio.* Respondendum est, quód sic; aliter

sine

sinè perfectissimo effectu non posset esse perfectissima Causa, cùm relativè se habeant; & vade ad *tertium §. in Capite de Perfectione, fol. 19.*

4. Vtrùm Theologia sit scientia magís perfecta, quàm Philosophia? *Solutio.* Respondendum est, quód sic; ratio hujus est, quia Deus est subjectum Theologiæ cum suis perfectissimis Rationibus, intelligibile autem est subjectum Philosophię cum perfectissimis principiis, tamen subalternatis; & vade ad *quartum Paragraphum in Capite de Perfectione fol. 20.*

5. Vtrùm humanus intellectus (& sic de humana voluntate & memoria) posset perficere animā sinè correlativis innatis? etiam sic querendum est de quatuor potentiis corporis? *Solutio.* Respondendum est, quòd non; quia anima & corpus essent nimis disparata á similitudinibus Dei; & vade ad *quintum §. in Capite de perfectione fol. 20.*

Ad laudem & honorem Dei finivit Raymundus Parisiis prædictas Quæstiones implicatas in Libro Facilis Scientiæ.

BEATI RAYMUNDI LVLLI

DOCTORIS ILLUMINATI ET MARTYRIS,

LIBER DE NOVO MODO DEMONSTRANDI SIVE ARS PRÆDICATIVA MAGNITVDINIS.

DEVS CVM TVA VIRTVTE ET VERITATE incipit iste Liber, qui est *Novus Modus Demonstrandi.*

DE PROLOGO.



Via dicitur, quód Fides non possit probari, fit Fallacia *secundum quid* & *simpliciter*: quoniam est verum, quòd secundùm sensum & imaginationem Fides non possit probari; ratio hujus est, quia Articuli Fidei

Fidei non ſunt ſenſibiles nec imaginabiles; verun- tamen poteſt probari *ſecundum Modum intelligendi cum Divinis Rationibus* permanentibus & agentibus in ſuperlativo gradu; quæ ſunt: *Divina Vnitas, Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Intellectus Voluntas, Virtus, Veritas,* & *Gloria.* Et de hoc eſt exemplificatum in *Multis Libris,* quos fecimus, & apparebit in iſto; nam id, quod intelligitur, magis diligitur, quám illud, quod creditur. Idcirco intendimus dare *Novum Modum demonſtrandi* ad probandum Fidem; ipſa Fides autem eſt permanens Habitus coadjuvativus Intellectûs, ſicut Charitas, quæ eſt Habitus Voluntatis.

Novus Modus autem demonſtrandi eſt verior, fortior & clarior, quám Modus demonſtrandi ſecundùm dialecticum Syllogiſmum; ratio hujus eſt, quia non patitur Sophiſmata, fallacias & inſtancias, & hoc, quia reducit concludendo contradictionem ſive impoſsibile; & hoc patebit in proceſſu hujus Libri.

DE DIVISIONE HVIVS LIBRI.

Iſte Liber dividitur in quinque Diſtinctiones.

Prima Diſtinctio eſt de Contradictoriis Suppoſitionibus.

Secunda Diſtinctio eſt diviſa in *ſex Partes,* quæ ſunt hæ: probare, quòd Deus ſit; probare, quód ſit Vnus, & non plúres; probare Trinitatem;

probare

probare Creationem; probare Resurrectionem; probare Glorificationem.

Tertia Distinctio est de Incarnatione, & ad probandum ipsam deducemus *decem Rationes*.

Quarta Distinctio est de Angelo, de Cœlo, de Homine, de Imaginativa, de Sensitiva, de Vegetativa, de Elementativa, de Instrumentativa, & de istis octo Partibus est constitutus Vniversus Orbis.

Quinta Distinctio est de Quæstionibus, quas intendimus facere de Deo, de Incarnatione, de Angelo, de Homine, & de Cœlo &c.

DISTINCTIO I.

DE CONTRADICTORIIS SVPPOSITIOnibus.

ISta Distinctio est de *Contradictoriis Suppositionibus* sive de Impossibili; & suum Subjectum est *Magnitudo*, super quám fundatur iste Liber sive *Ars Prædicativa Magnitudinis*.

2. Ens autem *bonum, magnum, verum, intelligibile* & *amabile* sunt uniformiter *quinque termini* hujus Artis; oppositum verò horum terminorum est *magnum malum, magnum falsum, ignorabile* & *odibile*.

3. *Suppositio*, quando est vera, est de genere Bonitatis, & quando est bona est de genere Veritatis; ratio hujus est, quia bonum & verum conve-

niunt cũ *esse*. Et quando Suppositio est falsa, est de genere malitiæ; & quando est mala, est de genere falsitatis; ratio hujus est, quia malitia & falsitas conveniunt cum non *esse*.

4. Et ideo intendimus syllogizare faciendo Cõtradictorias Suppositiones, & Propositiones bonas & veras declaratas reducere ad *Affirmationem*, & oppositas ad *Negationem*, & hoc cum magna intelligibilitate & amabilitate, bonitate & veritate uniformiter. Talis modus autem demostrandi est Novus, & extra modum & figuram antiquorum Syllogismorum.

DISTINCTIO II.

DE DEO, VNO, TRINO, CREATORE, RE-creatore, Glorificatore.

IN secunda Distinctione probamus primò, quòd Deus sit, faciendo Syllogismum, qui habet Novum Modum & Figuram, constitutum de quinque terminis, qui sunt Bonitas, Magnitudo, Veritas, Intellectus & Voluntas, in quibus habet suum fundamentum, scilicet bonum, magnum, verum, amabile & intelligibile; & sic de aliis Syllogismis hujus Libri, quia omnes habent eundem Modum & Figuram.

PARS

PARS I.

QVOD DEVS SIT.

SVppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd DEVS ſit, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria ſuppoſitio eſt vera, magnum bonum, magnum verum eſt, quód DEVS non ſit, & hoc intelligere & amare eſt magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſſibile: de neceſsitate ſequitur, quód DEVS ſit; aliter ſequeretur Contradictio, videlicet, quòd DEVS eſſet & non eſſet; quæ Contradictio eſt impoſſibilis: ergo eſt demonſtratum, quòd DEVS ſit.

PARS II.

QVOD SIT VNVS DEVS, ET NON PLVRES.

SVppono, quód ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd ſit Vnus DEVS & non plures, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, ſequitur de neceſsitate, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd ſint plures Dii, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſsibile; quia, ſi eſſent plures Dii, per infinitam eſſentiam quilibet terminaret & cauſaret ali-

alium, quod est impossibile: ergo est ostensum, quòd sit Vnus DEVS & non plures.

PARS III.

DE DIVINA TRINITATE.

ISTam Partem intendimus dividere in *decem Rationes* DEI, cum quibus venabimur Divinam Trinitatem syllogizando, tenendo supradictum modum; & primò de Divina Unitate.

DE DIVINA VNITATE.

SVppono, quód sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Divina Vnitas habeat intrinsecè Naturam uniendi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum, quód DEVS non habeat intrinsecè Naturam uniendi, & quòd hoc intelligere, & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum, & impossibile; & hoc ideo, quia implicat in Divina Vnitate vacuitatem, otiositatem & hujusmodi, quod est fallum & impossibile. Natura autem Divinæ Vnitatis consistit per Intrinsecum Vniens, Unibile & Vnire, quæ vocamus Divinam Trinitatem.

DE DIVINA BONITATE.

2. SUppono, quód ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divina Bonitas habeat intrinſecam Naturam bonificandi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria ſuppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur quód ſit magnum bonũ, magnum verum eſſe, quòd Divina Bonitas non habeat intrinſecam Naturam bonificandi & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnũ verum eſſe, quód eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demõſtratum, quòd DEVS intrinſecè habeat Naturam bonificandi per ſua correlativa, quæ illi sũt coëſſentialia, ſubſtantialia & naturalia, ſcilicet Bonificantem, Bonificatum, Bonificare. Et iſta tria vocamus tres Divinas Perſonas, quas inquirimus.

DE DIVINA MAGNITVDINE.

3. SUppono, quód ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Deus per ſuam magnitudinem habeat intrinſecam Naturam magnificandi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſarió ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Deus per ſuam Magnitudinem non habeat Naturam magnificandi, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum

ſum & impoſsibile; ſed Deus ſine proprio Magnificativo, Magnificabili, Magnificare nō poteſt habere Naturam magnificandi: ergo concluditur, quòd in Divina magnitudine ſint tria correlativa, ſivè tria Suppoſita, quæ vocamus Divinam Trinitatem.

DE DIVINA ÆTERNITATE.

4. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód Divina Æternitas habeat intrinſecam Naturam æternandi, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnū verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód Divina Æternitas non habeat Naturam æternandi, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demōſtratum, quòd in Divina Æternitate ſint tria correlativa, ſcilicet Æternans, Æternatum, Æternare, ſinè quibus Divina Æternitas non poſſet habere Naturam æternandi; illa correlativa autem vocamus Divinas Perſonas.

DE DIVINA POTESTATE.

5. SUppono, quód ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód Deus habeat intrinſecam Naturam poſsificandi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe;

&

&, si contraria suppositio est vera, necessariò sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum, quòd Deus non habeat intrinsecam Naturam possificandi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum & impossibile: ergo ostenditur, quòd Deus habeat intrinsecam Naturam possificandi, quam naturam non potest habere sinè proprio Possificante, & proprio Possificato, & proprio Possificare; & illa correlativa vocamus Divinam Trinitatem, quam inquirimus.

DE DIVINO INTELLECTV.

6. SVppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Divinus Intellectus habeat intrinsecam Naturam intelligendi, & quód hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnũ verum esse; & si contraria Suppositio est vera, necessarió sequitur, quòd sit magnũ bonum, magnum verum, quòd Divinus Intellectus non habeat intrinsecam Naturam intelligendi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quód est falsum & impossibile: ergo concluditur, quòd in Divino Intellectu sint tria connaturalia Correlativa, scilicet Intelligens, Intellectum, sive Intelligibile, & Intelligere; sinè istis autem non haberet intrinsecam Naturam intelligendi, quæ vocamus Divina Supposita.

DE

DE DIVINA VOLUNTATE.

7. SUppono, quód ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód Deus per ſuam Voluntatem habeat intrinſecam Naturam volendi,& quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Deus per ſuam Voluntatem non habeat intrinſecam Naturam volendi, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnũ bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demõſtratum, quòd Deus per ſuam Voluntatem naturaliter habeat tria correlativa, ſcilicet Volens, Volitum, & Velle,ſinè quibus non poſſet habere intrinſecam Naturam volendi; & iſta tria vocamus Divinas Perſonas.

DE DIVINA VIRTUTE.

8. SUppono, quód ſit magnum bonum, magnũ verum eſſe, quòd Divina Virtus habeat intrinſecam Naturam virtuificandi, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria ſuppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quód Divina Virtus non habeat intrinſecam Naturam virtuificandi, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum

verum esse, quod est falsum & imposibile: ergo concluditur, quòd in Divina Virtute sint tria correlativa, sinè quibus Divina Virtus non posset habere intrinsecam Naturam virtuificandi, quæ tria connaturalia correlativa, videlicet Virtuificans, Virtuificatum sive Virtuificabile, & Virtuificare sunt Divina Trinitas, quam inquirimus.

DE DIVINA VERITATE.

9. SVppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd DEVS habeat intrinsecam Naturam verificandi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria Suppositio est vera, necessarió sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum, quòd Deus non habeat intrinsecam Naturam verificandi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum & imposibile: ergo ostenditur, quòd Deus per suam Veritatem habeat tria connaturalia correlativa, scil. naturalem Verificantem, Verificatū, Verificare, quæ vocamus Divinam Trinitatem.

DE DIVINA GLORIA.

10. SUppono, quód sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Divina Gloria habeat intrinsecam Naturam gloriandi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria suppositio est vera, ne-

cessa-

cessariò sequitur quòd sit magnum bonum, magnũ verum esse, quòd Deus non habeat intrinsecã Naturam gloriandi, & quòd hoc intelligere & amare sit magnũ bonum, magnum verũ esse, quod est falsum & impossibile: ergo concluditur, quòd Divina Gloria habeat in se tria correlativa, sinè quibus non posset habere Naturam gloriandi intrinsecè, scilicet, Glorians, Gloriatum, Gloriari, quæ tria vocamus Divinam Trinitatem.

Venati sumus Divinam Trinitatem, & cum sua Gratia & Adjutorio invénimus ipsam, tenendo modum artificiatum; si autem aliquis velit improbare id, quod probavimus, ex hoc necessariò oportet, quòd teneat, quòd primæ Positiones sunt falsæ, & secundariæ sint veræ, & sic implicabit, quód sit contradictio, quod est falsum & impossibile; cùm illud sit possibile, hoc autem facere sit impossibile, & contra intelligibile & amabile.

PARS IV.

DE CREATIONE.

PRobationem Creationis mundi intendimus facere cum Divina Potestate, Intellectu, & Voluntate, quæ sunt idem per Essentiam, Substantiam, & Naturam; ex quo sequitur, quòd, si Deus potest creare Mundum cum sua Potestate, Divinus Intellectus intelligat, Voluntas diligat Mun-

dum

dũ creare, poſito, quòd ſit magnũ bonum, magnũ verũ creare Mundum de nihilo; & ideo arguo ſic:

Suppono, quód ſit magnum bonum, magnũ verũ eſſe, quòd Deus poſsit creare Mundum de nihilo, & quòd ſit á Deo intelligibile & amabile, & etiam á nobis, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonũ, magnum verum eſſe; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Deus non poſsit creare Mũdum de nihilo, & quòd hoc ſit á Deo intelligibile & amabile, & etiam à nobis, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demonſtratũ, quód Mundus ſit creatus & deductus de non eſſe in eſſe.

PARS V.

DE RESVRRECTIONE.

SUppono, quòd ſit magnnm bonum, magnum verum eſſe, quòd Deus poſsit reſuſcitare eundem hominem in numero ſive omnes homines, & quòd hoc ſit á Deo intelligibile & amabile, & etiam á nobis, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſsarió ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód Deus non poſsit reſuſcitare homines in eodem nume-

numero, & quód hoc à Deo ſit intelligibile & amabile, & etiam á nobis, & quód hoc ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demõſtratum, quòd erit generalis Reſurrectio hominum, ut videatur magnum poſſe, & magnum intelligere & amare Dei, & etiam magnum bonum, magnum verum eſſe, Judicium DEI, cùm homo ſit Judicandus totus, faciens bonum aut malum.

PARS VI.

DE GLORIFICATIONE.

SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS poſsit dare æternam Gloriam juſtis & bonis hominibus, & quòd hoc ſit á DEO intelligibile & amabile, & etiam à nobis, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnũ bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria ſuppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS non poſsit dare ſempiternam Gloriam bonis & juſtis hominibus; & quòd hoc ſit á DEO, intelligibile & amabile, & á nobis, & quòd hoc intelligere, & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demõſtratum, quòd Deus dabit ſempiternam Gloriam Beatis.

Demonstravimus prædictos Articulos Fidei, tenendo Novum Modum demonstrandi; & sicut fecimus Demōstrationes per prædictos Syllogismos, sic possunt fieri plures Demonstrationes per Divinam Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem, Virtutem, Veritatē, & Gloriam; quia sic convertuntur per Divinam Essentiam, Substantiam, & Naturam, sicut Divina Potestas, Intellectus, & Voluntas convertuntur.

DISTINCTIO III.

DE INCARNATIONE.

ISta Distinctio est divisa in *decem Partes*, hoc est, in *decem Syllogismos* deductos per Divinā Unitatem, Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem, Potestatem, Intellectum, Volutatem, Virtutem, Veritatem, & Gloriam, considerando Causam causalissimam, & Effectum effectissimatum quoad Unitatem unissimam, quoad Bonitatem optimam, quoad Magnitudinem maximam &c. Et primò probabimus Divinam Incarnationem per Unitatem unissimam.

DE VNITATE VNISSIMA.

1 SUppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd DEVS per suam Unita-

tem

tem ſit Cauſa uniſsima habens Effectum uniſsimatum, ſcilicet unum Chriſtum DEVM Hominem, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſsariò ſequitur, quòd ſit magnum bonũ, magnum verum, quòd DEVS per ſuam Unitatem non ſit Cauſa uniſsima, & quòd perdat effectum uniſsimatum relatum ad Cauſam uniſsimam, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demõſtratum, quòd DEUS ſit incarnatus.

DE BONITATE OPTIMA.

2. SUppono, quód ſit magnum bonum, magnum verum eſse, quòd Divina Bonitas ſit Cauſa optima habens Effectum optimatũ, ſcilicet Chriſtum DEVM Hominem, cùm Cauſa & Effectus relativè ſe habeant, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſarió ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód Divina Bonitas non ſit Cauſa optima, & quód perdatur Effectus optimatus, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt oſtensũ, quód DEVS ſit incarnatus.

DE MAGNITVDINE MAXIMA.

3. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod Deus per ſuam Magnitudinem ſit Cauſa maxima habens Effectum maximatum, ſinè quo non poſset eſse cauſa maxima, cùm Cauſa & Effectus relativè ſe habeant, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſse; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſſariò ſequitur, quód ſit magnum bonũ, magnum verum, quód Deus per ſuam Magnitudinem non ſit Cauſa maxima, & quòd perdatur Effectus maximatus, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt probatum, quòd Deus ſit incarnatus.

DE ÆTERNITATE ÆTERNALISSIMA.

4. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſse, quòd Divina Æternitas ſit Cauſa æternaliſsima habens Effectum æternaliſsimatum, hoc eſt, quòd ſit Homo factus de humana Natura in Divina æterna Perſona & cum ipſa conjunctus, radicatus & ſuſtentatus, ſcilicet Chriſtus DEVS Homo, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſse; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſsariò ſequitur, quòd ſit magnum bonum, verum eſse, quòd Divina Æternitas non ſit Cauſa æternaliſsima, & quòd

per-

perdatur Effectus æternalissimatus, & quód hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd DEVS sit incarnatus.

DE POTESTATE POTENTISSIMA.

5. SUppono, quód sit magnum bonum, magnum verum esse, quód DEVS per suam Potestatem sit Causa potentissima habens Effectum potentissimatum, scilicet Christum DEVM Hominem, & quòd hoc intelligere & amare sit magnũ bonum, magnum verum esse; & si contraria Suppositio est vera, necessariò sequitur, qnòd sit magnum bonum, magnum verum, quòd Deus per suam Potestatem non sit Causa potentissima, & quód perdatur Effectus potentissimatus, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile, necessarió sequitur, quòd Deus sit incarnatus; non autem dico supremam necessitatem, sicut est Necessitas Divinæ Trinitatis, quia illa est naturalis; sed dico subalternatam necessitatem, & quia est de bene esse.

DE INTELLECTV INTELLECTISSIMO.

6. SUppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Divinus Intellectus sit Causa intellectissima habens Effectum intellectissima

ſimatum ſcilicet Chriſtum DEVM Hominem, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſse; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, neceſsariò ſequitur, quòd ſit magnũ bonum, magnum verum eſſe, quòd Divinus Intellectus non ſit Cauſa cauſaliſsima, & quòd perdatur Effectus intellectiſsimatus, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt probatum, quòd Deus ſit incarnatus.

DE VOLVNTATE VOLISSIMA.

7. SVppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEVS ſit Cauſa amantiſſima habens Effectum amantiſsimatum, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria ſuppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quód ſit magnum bonum, magnũ verum eſſe, quód Deus non ſit Cauſa amantiſsima, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, & quòd perdatur Effectus voliſsimatus, ſcilicet Chriſtus DEVS Homo; & quia hoc eſt falsũ & impoſsibile: ergo eſt demonſtratum, quód Deus ſit incarnatus.

DE VIRTVTE VIRTVOSISSIMA.

8. SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód Divina Virtus ſit

 Cauſa

Causa virtuosissima, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quód sit magnum bonum, magnum verum, quòd Divina Virtus non sit Causa virtuosissima, & quòd perdatur Effectus virtuosissimatus, scilicet Christus DEUS Homo, & quód hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est impossibile: ergo est ostensum, quód Deus sit incarnatus.

DE VERITATE VERISSIMA.

9. SUppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quód DEVS sit Causa verissima, habens Effectum verissimatum, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera de necessitate sequitur, quód sit magnum bonum, magnum verum, quòd Deus non sit Causa verissima, & quòd perdatur Effectus verissimatus, scilicet Christus DEVS Homo, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quód Deus assumpserit humanam Naturam.

DE GLORIA GLORIOSISSIMA.

10. SUppono, quòd sit magnum bonum, mag-

num verum esse, quòd Divina Gloria sit Causa gloriosissima, & quòd illi respondeat Effectus gloriosissimatus, scilicet Christus Deus Homo; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnũ bonũ, magnum verum, quod Gloria gloriosissima non sit Causa gloriosissima, & quòd perdatur Effectus gloriosissimatus, & quód hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est ostensum, quod Deus sit incarnatus.

Demõstravimus Divinam Incarnationem per Novum Modum demonstrandi; & si aliquis vult improbare id, quod diximus, necessarió sequitur, quòd suæ improbationes sint de genere secundarum Suppositionum, & per consequens, quòd sint falsæ, quia de necessitate sequitur, quòd secundæ Suppositiones sint falsæ. Talis Modus demonstrandi est compendiosus, facilis & valde remotus á falsis opinionibus.

DISTINCTIO IV.

DE OCTO PARTIBVS UNIVERSI.

Ista Distinctio dividitur in *Octo Partes*, quæ sunt Angelus, Cœlum, Homo, Imaginatio, Sensus, Vegetatio, Elementatio, Instrumentatio; de istis

istis intendimus facere Syllogismos tenendo Novum Modum demonstrandi, ut demus facilem veram & compendiosam Doctrinam ad cognoscendum ea, quæ possunt prædicari de prædictis; & primò de Angelo.

PARS I.

DE ANGELO.

SUppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Angeli sint, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd non sit magnum bonum, magnum verum, quód Angeli sint, & quód sit magum bonum, magnum verum intelligere & amare, quòd ipsi non sint, & quòd perdatur nobilior effectus, excepto Christo; & quia hoc est falsum & impossibile, est demonstratum, quòd Angeli sint.

PARS II.

DE COELO.

SUppono, quód sit magnum bonum, magnum verum esse, quód DEVS moveat Cœlum ad per se movendum, & quód hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si

contra-

contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd perdatur major participatio, quæ est inter Deum & Cœlum, & inter Cœlum & inter ejus inferiores effectus, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demõstratũ quòd Deus moveat Cœlum ad per se movendum.

PARS III.

DE HOMINE.

SUppono, quód sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd humanus Intellectus possit facere veriorem, clariorem & nobiliorem scientiam cum Dignitatibus Dei, quam cum Sensu & Imaginatione; & quód hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonũ, magnum verum esse hoc, per quòd Divinæ Rationes minùs sunt Causæ humani Intellectûs, & quòd perdatur verior, clarior & nobilior scientia, & quód intelligere & amare hanc perditionem sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd humanus Intellectus possit facere veriorem, clariorem & nobiliorem scientiam cum Dignitatibus Dei, quàm cum Sensu & Imaginatione.

PARS IV.

DE IMAGINATIONE.

SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Imaginativa Potentia ſit radicata in Senſitiva Potentia, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum hoc, per quod Imaginatio minùs poteſt extrahere ſpecies ſive phantaſias á Senſu, & quòd perdatur hoc, per quod intellectus magís poteſt participare cum Senſitiva per Imaginativam in faciendo ſcientiam, & quòd hanc perditionem intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; quod eſt falſum & impoſsibile.

PARS V.

DE SENSITIVA.

SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Senſus ſit agens, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quód ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd perdatur hoc, per quod Senſus haberet majorem naturam ſentiendi, bonificandi

ficandi & magnificandi, & quod hoc intelligere & amare esset magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum & impossibile: ergo concluditur, quód detur Sensus agens.

PARS VI.

DE VEGETATIVA.

SUppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Vegetativa Potentia sit radicata in Elementativa Potentia, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnũ bonum, magnum verum esse hoc, per quod minùs esset de genere substantiæ & de genere quantitatis, qualitatis & aliorum Prædicamentorum, & quód perditio istorum esset magnum bonum, magnum verum esse, & quòd hoc intelligere & amare esset magnum bonum, magnum verum esse; quòd est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd Vegetativa sit radicata in Elementativa.

PARS VI.

DE ELEMENTATIVA.

SUppono, quód sit magnum bonum, magnum verum esse, quód Elementativa sit per essentiam, substantiam & naturam in elementatis, &

quod

quód hoc inteligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe hoc, per quod Elementa & elementata minús participant per eſſentiam, ſubſtantiam & naturam, & quòd perdatur major participatio, & quòd intelligere & amare hanc perditionem ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demonſtratum, quód elementa per eſſẽtiam, ſubſtantiam & naturam ſint in elementatis.

PARS VIIJ.

DE INSTRVMENTATIVA.

INſtrumentativa Potentia eſt Ars, cum qua homo agit artificialiter vel moraliter, ſicut Artes liberales & mechanicæ, & etiam Virtutes & Vitia; & quia volumus evitare prolixitatem, intendimus dare exemplum ſuper Virtutes & Vitia duobus modis; & ſicut exemplificabimus de iſtis, poteſt intelligi de aliis.

DE VIRTVTIBVS.

SUppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe hoc, per quòd DEVS ſit Cauſa efficiens & finalis omnium Virutum, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum

verum esse; &. si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur quód sit magnum bonum, magnum verum esse hoc, per quòd homo magis distat á Divina Gratia, & quód perdatur hoc, per quod DEVS est magis gratiosus, & quòd intelligere & amare hanc perditionem sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd est falsum & impossibile: ergo concluditur, quòd Deus sit Causa efficiens & finalis omnium Virtutum, scilicet Justitiæ, Prudentiæ &c.

DE VITIIS VEL PECCATIS.

SUppono, quód sit magnum bonum, magnum verum esse hoc, per quòd DEVS magis distat á Vitiis & peccatis, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum hoc, per quòd Deus sit magis circa Vitia & peccata, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quód Deus habeat infinitam distantiam á Vitiis & peccatis.

Demonstratum est, per quem modum homo potest arguere & solvere de octo Prædictis generibus, ex quibus Universum est constitutum; & talis doctrina est valde utilis, facilis & compendiosa & remota à falsis opinionibus.

DISTINCTIO V.

DE QUÆSTIONIBUS.

ISta Distinctio dividitur in Quæstiones, quas intendimus facere de DEO, de Incarnatione, de Angelo, & Cœlo, & Homine &c. & intendimus ipsas solvere syllogizando secundúm prædictum Modum; & secundùm quòd solvemus Quæstiones hujus Libri, poterunt solvi aliæ peregrinæ Quæstiones.

PARS I.

QUÆSTIONES DE DEO.

1. QUæstio. Quare Deus est in Tribus Personis, & non in pluribus nec in paucioribus?

Respondeo & dico syllogizando. Suppono, quód hoc sit majus bonum, majus verum esse, per quod numerus Divinarum Personarum habet majorem convenientiam cum correlativis ostensis in *secunda Distinctione*, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quód sit magnum bonum, magnum verum, quòd perdatur hoc, per quòd Divinæ Personæ haberent majorem convenientiam cum correlativis

secun-

ſecundæ Diſtinctionis, & quód hoc intelligere & amare eſſet magnum bonum, magnum verum eſſe, quod eſt falſum & impoſsibile; ergo eſt demonſtratum, quòd Numerus Perſonarum conſiſtat in Tribus Perſonis, & non in pluribus, nec in paucioribus.

2. *Quæstio.* Quare in Divina Trinitate una Perſona vocatur Pater, alia Filius, alia Sanctus Spirit⁹?

Reſpondeo ſyllogizando. Suppono, quód ſit magis magnum bonum, magis magnum verum eſſe hoc, per quòd Nomina Divinarum Perſonarum habent majorem convenientiam cum correlativis Divinarum Perſonarum, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd perdatur major convenientia, quæ poteſt eſſe inter nomina Divinarum Perſonarum & correlativorum Divinarum Rationum, & quòd hanc perditionem intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt oſtenſum, quòd Nomina Divinarum Perſonarum ſint relata á correlativis Divinarum Dignitatum.

3. *Quæstio.* Utrùm magis conveniat affirmare de DEO hoc, quod ipſe eſt, quám negare hoc, quod ipſe non eſt?

Reſpondeo & dico, quòd ſic. Et quód hoc ſit

verum, arguo sic. Suppono, quòd sit magis magnũ bonum, magìs magnum verum esse facere de Deo scientiam per hoc, quòd ipse est, quám per hoc, quod ipse non est, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magis magnum bonum, magis magnum verum dicere, quòd Deus sit hoc, quod est, per hoc, quia non est lapis vel asinus, &c., quám per hoc, quia est Unitas unissima, Bonitas optima &c., & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd magis conveniat affirmare de DEO hoc, quod ipse est, quám negare hoc, quod ipse non est.

4. *Quæstio.* Utrum DEVS possit definiri?

Respondeo & dico, quód sic, & hoc probo syllogizando. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse hoc, per quòd Deus est à nobis cognoscibilis, & quód hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd ista prædicatio sit falsa; Deus est Unitas unissima, DEVS est Bonitas optima &c., & quód hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd Deus possit definiri secundùm prædictum

Modum

Modum, non autem per causas, quas habeat supra se.

5. *Quæstio.* Vtrùm Deus sit infinitus, & sic de suis Rationibus?

Respondeo & dico, quòd sic. Suppono, quód sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Deus sit infinitus & sic de suis Rationibus, & quód hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quód sit magnum bonum, magnum verum esse, quód Deus non sit infinitus, & sic de suis Rationibus, & quód hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd DEUS sit infinitus, & sic de suis Rationibus.

6. *Quæstio.* Utrum in Divina Essentia sit una Bonitas, & non plures, una Magnitudo, & non plures?

Respondeo & dico, quòd sic. Suppono quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd in Divina Essentia Uniens, Optimans, Maximãs &c. sint una Persona, scilicet DEUS Pater, & quod Unissimatus, Optimatus, Maximatus &c. sint alia Persona, scilicet DEUS Filius, & quòd Unissimare, Optimare, maximare &c. sint alia Persona, scilicet Sanctus Spiritus, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum

verum

verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd in Divina Essentia essent plures unitates, bonitates, magnitudines &c. & quod una limitaret aliam, & quòd perderetur Infinitas unius Unitatis, unius Bonitatis, Optimitatis, unius Magnitudinis, Maximitatis &c, & quòd hoc intelligere & amare esset magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est impossibile: ergo est demonstratum, quòd in Divina Essentia non sit, nisi una Unitas, una Bonitas, una Magnitudo &c.

7. *Quæstio.* Utrùm Divina Potestas habeat tantum per se ipsam infinitam possificationem, quantum habet per Æternitatem æternam existentiam?

Respondeo & dico, quòd sic. Suppono, quòd sit magìs magnum bonum, magís magnum verum esse hoc, per quod Divina Æternitas & Divina Potestas una possit prædicari de alia, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd perdatur hoc, per quod de Divina Æternitate & Potestate potest fieri major prædicatio, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum,

tum, quód Divina Potestas habeat tantum per se ipsam infinitam Posſificationem, quantum per Æternitatem æternam existentiam.

8. *Quæstio.* Vtrum DEVS habeat naturam ſubjectivè, & objective?

Respondeo, quòd ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divina Trinitas ſit, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & ſi, contraria Suppoſitio eſt vera, de necesſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd perdatur, quòd in Divina Vnitate ſint correlativa, & ſic de Divina Bonitate &c., ut dictum eſt in *ſecunda Diſtinctione*, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnun bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demonſtratum, quòd DEVS habeat Naturam ſubjectivè & objectivè, ſubjectivè, quia DEVS Pater, qui eſt Divina Natura, de ſua Natura producit DEVM Filium naturaliter á Patre objectatum, & Pater & Filius de eadem Natura, quam habent, producunt Sanctum Spiritum objectatum ab utroque.

9. *Quæstio.* Vtrum DEVS poſsit tantum de ſe ipſo, quantus ipſe eſt?

Respondeo & dico, quòd ſic. Suppono quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEVS poſsit tantum de ſe ipſo, quantus ipſe eſt,

& quod hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe,&, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEVS non poſsit tantum de ſe ipſo, quantus ipſe eſt, & quòd perdatur infinitum poſſe ſive producere, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt probatum, quòd DEVS poſsit tantum de ſe ipſo, quantus ipſe eſt, ſcilicet DEVS Pater, qui poteſt de ſe ipſo producere DEVM Filium, & ipſi ſimul de ſe ipſis poſſunt producere DEVM Sanctum Spiritum, & omnes tres poſſunt eſſe Vnus DEVS.

10. *Quæſtio.* Vtrum DEVS plus poſsit perficere de perfecto, quám de imperfecto?

Reſpondeo & dico, quód ſic, & hoc probo ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEVS plus poſsit perficere de perfecto, quám de imperfecto, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód DEVS de ente, quòd ſimpliciter non eſt perfectum, poſsit plus perficere, quám de ente, quód ſimpliciter eſt perfectum, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt impoſsibile;

ſsibile : ergo eſt demonſtratum, quòd DEVS plus poſsit perficere de ente perfecto, quám de ente imperfecto.

Fecimus decem Quæſtiones de DEO, & ſicut fecimus iſtas, poſsunt fieri plures, & per eundem Modum poſsunt ſolvi, & ſi aliquis vult improbare id, quod diximus, convenit, quòd teneat terminos oppoſitos contra primas Suppoſitiones, & quód conveniant cum ſecundariis.

DE CREATIONE MVNDI.

QVæſtio. Quare DEVS non priùs creavit Mundum, quàm ipſum creavit?

Reſpondeo & dico ſic. Suppono, quód ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEVS creavit Mundum in illo *tunc*, in quo primum tempus fuit creatum, & quòd hoc intelligere, & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEUS creaverit Mundum extra creatum tempus, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; quod eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt oſtenſum, quòd DEUS creaverit Mundum in illo *tunc*, cui nullum tempus erat præjacens.

DE RESVRRECTIONE.

QVæſtio. Utrùm major impoſsibilitas poſsit impedire majorem poſsibilitatem Unitatis, Bonitatis &c. Reſurrectionis hominum?

Reſpondeo & dico, quòd non. & quòd hoc ſit verum, arguo ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe hoc, per quod nulla impoſsibilitas poteſt impedire majoré poſsibilitatem unitatis, bonitatis, magnitudinis &c. Reſurrectionis hominis, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnũ bonum, magnum verum eſſe; & ſi cõtraria ſuppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd ſit magnũ bonũ, magnum verum, quòd major impoſsibilitas poſsit impedire majorem poſsibilitatem unitatis, bonitatis, magnitudinis &c. Reſurrectionis hominum, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum, & quòd perdatur major poſsibilitas, unitatis, bonitatis magnitudinis &c., & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demonſtratum, quòd major impoſsibilitas non poſsit impedire majorem poſsibilitatem unitatis, bonitatis, magnitudinis &c. Reſurrectionis hominum.

DE GLORIFICATIONE.

QVæſtio. Utrùm Glorificatio Beatorum ſit æqualiter per Intellectum & Voluntatem hominis?

Reſ-

Respondeo & dico, sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse illud, per quod Divinus Intellectus & Divina Voluntas sunt magis Causa efficiens & finalis Beatitudinis Beatorum, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Divinus Intellectus & Divina Voluntas inæqualiter sint Causæ efficientes & finales Beatitudinis Beatorum, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; quod est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd Beati æqualiter habeant Gloriam per intelligere & amare.

PARS II.

QVÆSTIONES DE INCARNATIONE.

Q*Væstio.* Utrum DEVS sit incarnatus de necessitate?

Respondeo & dico, quòd non secundùm Supremam Necessitatem, sed secundùm subalternatam necessitatem; & vade ad Caput *de Potestate in tertia Distinctione*. fol. 53.

2. *Quæstio.* Quare DEVS non assumpsit Angelicam Naturam?

Respondeo sic syllogizando. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd

DEVS assumpserit illam Naturam, cum qua DEVS posset magis participare naturaliter cum toto Vniverso, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quód DEVS assumpserit illam naturam, cum qua minus participat cum Vniverso, & quód hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; quód est falsum & impossibile: ergo est data ratio, quare DEVS assumpserit Humanam Naturam, & non Angelicam, quia per Humanam Naturam, in quantum factus est Homo, participat cum tota spirituali & corporali Natura in genere; &, si assumpsisset Angelicam Naturam, non participaret, nisi cum spirituali natura tantùm.

3. *Quæstio.* Quare DEVS non assumpsit plures humanitates?

Respondeo sic. Suppono, quód sit magnum bonum, magnum verum esse, quód sufficiat una Humana Natura exaltata, radicata & conjuncta in uno infinito Supposito ad exaltationem & ordinationem totius Universi, & quod hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quód unum Divinum Suppositum non habeat sufficientiam ad exaltationem, & ordinationem totius Vniversi cum una Humana Natura

sibi

ſibi conjuncta, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; quod eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt data reſponſio, quare DEVS non aſſumpſerit, niſi unam Humanam Naturam.

4. *Quæſtio*. Quare DEVS non priús aſsumpſerit Carnem, quàm aſſumpſit?

Reſpondeo & dico ſic. Suppono quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód DEVS aſſumpſerit Carnem in illo tēpore, in quo potuit, intellexit & voluit, & hoc benè magnè &c; & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quód ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; quòd perdatur illud prædictum tempus, & quòd intelligere & amare hanc perditionem ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demonſtratum, quare DEVS aſſumpſerit Carnem in illo tempore, in quo potuit, intellexit & voluit.

5. *Quæſtio*. Vtrúm DEVS jam ſit incarnatus?

Reſpondeo & dico ſic. Suppono quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód DEVS jam ſit incarnatus, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum

eſſe,

esse, quòd DEVS non sit incarnatus, & quòd non assumpserit Carnem, & non habebit Populum, quia Christiani non credent in eum, quia credent, quòd jam fuerit incarnatus, nec Judæi, nec Sarraceni credent hoc, & quòd intelligere & amare perditionem Populi sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratum, quòd Christus jam sit incarnatus.

6. *Quæstio.* Quare Christus fuit pauper, passus, & mortuus, cùm sit DEVS Homo?

Respondeo & dico sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd sicut Divina Natura se humiliavit in assumendo Humanam Naturam, ut exaltaret ipsam, sic conveniat, quòd Humana Natura sit humiliata ad paupertatem & mortem ad honorandum Divinam Naturam, & quòd redimeret Humanum Genus, quod Divina Natura amiserat, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quód Humana Natura & Divina Natura non haberent ad invicem convenientiam, & quód intelligere & amare hanc inconvenientiam esset magnum bonum, magnum verum esse; quod est falsum & impossibile: ergo ostenditur ratio, quare Christus DEVS & Homo fuerit pauper, passus

& mor-

& mortuus, & etiam, quare Divina Natura fuerit humiliata ad paupertatem, paſsionem & mortem in Humana Natura.

7. *Quæſtio.* Per quem modum Chriſtus habet tres Naturas differentes per eſſentiam, ſcilicet Divinam Naturam, Naturam rationalis Animæ & corpoream Naturam?

Reſpondeo & dico ſic. Suppono, quód ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Divina Perſona aſſumpſerit in ſe ipſa Naturam Animæ & Naturam Corporis, & quòd in ſe ipſa det eis eſſe uniendi in ſuàmet Vnitate & Natura, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe perdere prædictum modum uniendi, & quòd intelligere & amare hanc perditionem ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; quod eſt falſum & impoſsibile: ergo oſtenditur, per quem modum Chriſtus ſit una Perſona per tres differentes Eſſentias.

8. *Quæſtio.* Vtrùm Chriſtus ut Homo in uno tempore per Sacramentum Altaris poſsit eſſe in pluribus locis?

Reſpondeo & dico ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód DEVS, qui ubique eſt Homo, poſsit facere per Sacramentum Altaris, quòd Chriſtus in eodem tempore poſ-

ſit

ſit eſſe in pluribus locis, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quód ſit magnum bonum, magnum verum eſſe perdere majorem participationem, quam DEVS poteſt habere in pluribus hominibus per prę sẽtiam JESV-Chriſti, & quód intelligere & amare hanc perditionem ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demonſtratum, quòd Chriſtus ut Homo per Sacramentum Altaris poſsit eſſe in pluribus locis in eodem tempore; & hoc jam declaravimus in *aliis Libris*, quos fecimus, aſsignando cauſam, quòd DEVS ſit ubique Homo per hoc, quia eſt ubique infinitus, & Filius DEI totus ſuit incarnatus.

9. *Quæſtio.* Vtrùm Chriſtus DEVS viluerit & deterioraverit ſe in aſſumendo Humanam Naturã?

Reſpondeo & dico, quòd non, & hoc oſtendo ſic. Suppono, quód ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód DEVS aſſumpſerit Humanam naturam cum actibus Divinarum Dignitatum, ſcilicet cum Divina Vnitate, Bonitate, Magnitudine &c.; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quód non aſſumpſerit Humanam Naturam cum actibus Divinarum Dignitatum, & quód viluerit & deterioraverit ſe, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum ve-

rum

rum esse; quòd est falsum & impossibile: ergo est ostensum, quòd DEVS non viluerit nec deterioraverit se in assumendo Humanam Naturam.

10. *Quæstio.* Utrum Mundus sinè Incarnatione fuisset creatus propter majorem Finem?

Respondeo & dico, quòd non, & hoc ostendo sic. Suppono quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Mundus non sit creatus propter majorem Finem sinè Incarnatione, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum, quòd Mundus non sit creatus propter majorem Finem, sed propter minorem, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; quòd est falsum & imposssibile, cum Mundus non possit pati, quòd sit creatus propter majorem Finem sinè Incarnatione: ergo est ostensum, quòd Mundus sit creatus propter majorem Finem ideo, quia DEVS est incarnatus.

Diximus de decem Quæstionibus Incarnationis DEI; &, si aliquis vult improbare nostra dicta, suæ improbationes erunt de genere secundarum Suppositionum, quæ non possunt stare, quia non sunt de genere intelligibilitatis & amabilitatis, nostræ autem sunt de genere intelligibilitatis & amabilitatis.

PARS III.

QVÆSTIONES DE OCTO PARTIBVS VNIversi.

1. QVæstio. Utrùm Angelus ſit realiter vel intentionaliter in loco?

Reſpondeo & dico, quòd Angelus non ſit realiter in loco ideo, quia non occupat locum, ſed intentionaliter eſt in loco, quia intelligit, quòd ſit in uno loco, & non in alio loco, & quòd hoc ſit verum arguo ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Angelus realiter non ſit in loco, quia non occupat locum, ſed eſt intentionaliter in loco, quia intelligit, quòd ſit in uno loco, & non in alio loco, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd occupet locum, & quòd ſit corpus, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt oſtenſum, quòd Angelus non ſit realiter in loco, occupando locum, ſed in loco, quia intelligit, quòd ſit in uno loco, & non in alio.

2. *Quæſtio.* Utrum Cœlum habeat materiam?

Reſpondeo & dico, quòd ſic, & quòd hoc ſit verum, arguo ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum magnum verum eſſe, quòd omne mobile

mobile ſubjectum ſit corpus compoſitum ex forma & materia, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd motus Cœli non ſit in mobili ſubjecto, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demonſtratum, quòd Cœlum habeat materiam.

3. *Quæſtio.* Utrum ſit unus Intellectus in omnibus hominibus, vel plures?

Reſpondeo & dico, quòd ſint plures, & non unus, & hoc oſtendo ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd ſint plures intellectus in omnibus hominibus, & non unus tantùm, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd DEVS non ſit juſtus, nec bonus, magnus &c. in omnibus hominibus, & quòd perdatur alia Beata Vita, & quòd hanc perditionem intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & quia hoc eſt falſum & impoſsibile: ergo eſt demonſtratum, quòd ſint plures intellectus in omnibus hominibus, & non unus tantùm.

4. *Quæſtio.* Utrum humanus Intellectus faciat ſcientiam de Angelo per Imaginationem?

Reſ-

Respondeo & dico, quòd non, & hoc ostendo sic. Suppono quòd sit magnumbonum, magnũ verum esse, quòd humanus Intellectus non faciat scientiam de Angelo per Imaginationem, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse;&, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quòd Intellectus faciat scientiam de Angelo per Imaginationem, & quòd Angelus sit imaginabile corpus, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est ostensum, quòd Intellectus non faciat scientiam de Angelo per Imaginationem.

5. *Quæstio.* Utrùm humana Voluntas diligat DEVM per Sensum?

Respondeo & dico, quód non, & hoc demõstro sic. Suppono quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quód humana Voluntas non diligat DEVM per sensum, & quód hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necessitate sequitur, quód DEVS sit sensibile corpus, non Spiritus, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; & quia hoc est falsum & impossibile: ergo est demonstratũ, quód humana Voluntas non diligat DEVM per Sensum.

6. *Quæstio.* Utrùm Vegetativa Potentia ſit magis mobilis in homine, quàm in bruto.

Reſpondeo & dico, quód ſic. Suppono, quód ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód Vegetativa Potentia ſit magis mobilis in homine, quám in bruto, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi cõtraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód anima hominis non ſit magìs forma corporis, quám Vegetativa corporis bruti, & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; quód eſt falſum & impoſsibile: ergo concluditur, quód Vegetativa ſit magìs mobilis in homine, quám in bruto.

7. *Quæstio.* Vtrùm ignis habeat majorem vigorem per caliditatem, quàm per luciditatem?

Reſpondeo & dico, quód ſic. Suppono, quod ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód ignis habeat majorem vigorem per caliditatem, quã per luciditatem, cùm caliditas ſit ejus propria paſsio, luciditas autem non, quia Sol eſt lucidus, etiam Saturnus, Jupiter &c., & quód hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; & ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quód ſit magnum bonum, magnũ verum quód ignis ſit æqualiter vigoroſus per qualitatem propriam & appropriatam; quód eſt falſum

ſum & impoſsibile: ergo eſt demonſtratum, quòd ignis ſit magís vigoroſus per ſuam caliditatem, quám per ſuam luciditatem.

8. *Quæſtio.* Vtrùm Fides ſit ita perfectus Habitus Intellectûs hominis, ſicut Charitas Voluntatis hominis?

Dico, quód ſic. Suppono, quód ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Fides ſit ita perfectus Habitus Intellectûs hominis, ſicut Charitas Voluntatis hominis, & quòd hoc intelligere & amare, ſit magnum bonum, magnum verum eſſe; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſſitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód Fides ſit habitus defectivus & impotens humano Intellectui, & quòd hoc intelligere & amare ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quód eſt falſum & impoſsibile, etiam, quia Intellectus & Voluntas ſunt æquales potentiæ, ut probatum eſt in *ſecunda Diſtinctione* in Capite *de Glorificatione* Beatorum.

9. *Quæſtio.* Utrùm Avaritia ſit majus peccatum quàm Luxuria?

Dico, quòd ſic. Suppono, quòd ſit magnum bonum, magnum verum eſſe, quòd Avaritia ſit majus peccatum, quám Luxuria; &, ſi contraria Suppoſitio eſt vera, de neceſsitate ſequitur, quòd ſit magnum bonum, magnum verum, quòd Luxuria ſit majus peccatum contra DEVM, qui non eſt

caſtus

castus, quám Avaritia, quæ est contra DEVM, qui est largus, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quód est falsum & imposibile: ergo est ostensum, quòd Avaritia sit majus peccatum, quàm Luxuria.

10. *Quæstio*. Vtrùm Alchymia sit Scientia?

Dico, quòd non, & hoc probo sic. Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum esse, quod Alchimia non sit scientia, & quod hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse; &, si contraria Suppositio est vera, de necesitate sequitur, quòd Alchymista habeat *ita magnum vigorem bonum, & verum artificialiter sicut agens naturale naturaliter*, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonum, magnum verum esse, quod est falsum & imposibile: ergo concluditur, quód Alchymia non sit Scientia, sed sit figmentum.

Fecimus Quæstiones de octo Partibus Vniversi, & solvimus istas *artificialiter*, dico autem artificialiter, quia syllogizando solvimus illas, & ita verè, quòd oppositū non est intelligibile nec amabile.

Si in aliquo erravi in isto Libro contra Sanctam Catholicam Fidem, submitto istum Librū Correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quia sum verus Catholicus.

Præterea supplico Excellentisimo & Illustrissimo Domino Friderico Magnifico, Discreto, Liberali pariter & Fideli, DEI Gratia, Regi Siciliæ, & etiam Discreto Domino & Provido & Maturo,

virtu-

virtutibus insignito Domino Arnaldo de Rexa, DEI Gratia, Archi-Episcopo Montis Regalis, quòd sua Authoritate promoveant istum Librum, & illum publicent in tantum, quód Judæi coacti intelligant istum Librum, & respondeant ad Rationes supradictorum Argumentorum.

Ad Laudem & Honorem DEI finivit RAYMUNDUS istum Librum Mense Septembri in Civitate Majoricensi, Anno MCCCXII. Incarnationis nostri Domini JESU Christi.

DEVS,

CUM TUA SAPIENTIA ILLUMINOSA, ET cum tua charitate preciosissima incipit Liber Contradictionis.

1. Ccidit, quod Raymundista, & Averroysta diu disputaverunt Parisiis. Raymundista dicebat, quod Averroysta implicabat contradictionem per hoc, quia dicebat, quod simplisitèr intelligebat, quod naturalitèr erat impossibile DEVM esse Trinum, Creatorem, Incarnatum, & hujusmodi; sed credebat oppositum, cum diceret se esse Catholicum Christianum, & Fidelem; Averroysta autem excusabat se, & dicebat, quod non implicabat Contradictionem secundum modum intelligendi, quia naturalitèr intelligebat DEVM non esse Trinum &c. sed credebat ipsum esse Trinum; & quia intelligere differt á credere, non implicabat contradictionem, cum contradictio sit Affirmatio, & Negatio unius, & respectu ejusdem.

2. Dum sic disputabant, & de disputatione erant attædiati, convenerunt inter se, quod exi_

rent Parisios, & irent ad pratum unum amenum juxta Parisios, in quo erant una arbor pulcherrima, & fons delectabilis, & acciperent anhelitum, vigorem, & quietem, & ad disputandum reverterentur; dum autem irent, ad invicem ista verba dicebant. Quæ est causa, quod bonum intentum habemus, & verum desideramus, & non possumus convenire? Tunc proposuerunt rogare DEVM cum magna devotione, quod aperiret eis oculos intellectus, & possent videre modum, per quem possent convenire.

3. Oratione facta, invenerunt sub prædicta arbore Dominam pulcherrimam preciosissimè ornatam, & indutam, quam humilitèr salutaverunt, & ejus nomen petierunt; ipsa autem curialitèr dedit eis responsum, dicens; Ego sum Contradictio; ipsi verò gavisi sunt, & dixerunt Contradictioni, quod placeret eis dicere suam essentiam, & naturam, ut possent cognoscere, que erat causa quare non poterant inter se convenire.

DE SERMONE CONTRADICTIONIS.

4. DIxit Contradictio. Mea essentia est in anima considerata contracta, & concepta. Habeo duas species. Vnam intensam per impossibile; aliam extensam, per possibile. Per impossibile enim non sum ens reale: utpotè impossibile

est,

est, quod illud, quod est, non sit, dum est, & quod fuit, non fuerit, & quod album, dum est album, sit nigrum, & è converso, & hujusmodi. Alia species est per possibile, & eruitur à prima per accidens, quæ causat entia contradictoria, sicut est contrarietas inter frigidum, & calidum, inter verum, & falsum, & hujusmodi. Ecce qualitèr aliqui credunt disputare per meam qualitatem extensam, & disputant per intensam, & è converso, & quid mirum, si non possunt convenire!

5. Tunc Raymundista, & Averroysta dixerunt Contradictioni disputationem in qua erant in languore, & dolore, quolibet habente bonam intentionem ad verum objectum, & rogaverunt eam intimè, quod daret eis consilium, quid super hoc erat sciendum.

6. Ipsa autem dixit eis, quod acciperent centum maximas discursas per possibile, quæ sunt *in libro de Possibili, & de Impossibili*, & quod disputarent per ipsas syllogizando; ita quod Raymundista faciat syllogismum, & Averroysta syllogizet in oppositum; & isti syllogismi repræsententur intellectui, & voluntati Philosophi, cum intelligibile sit objectum intellectus, & amabile, voluntatis; & tunc apparebit, cujus syllogismus est verus, & cujus falsus, & quis implicat contradictoria, & contrarietates, sivè fallacias, postea stetis ad hoc, quod videtur magis benè, magnè, durabilitèr, potentèr,

virtuo-

virtuosé, veré, delectabilitér, & perfecté intelligibile, amabile, & illum syllogismum eligatis esse verum; & suum oppositum esse falsum: & sic per talem modum possetis convenire, postquam habetis bonam intentionem inveniendi veritatem. Et ista Regula est Generalis, & infallibilis.

7. Dato autem consilio, ipsi cæperunt disputare per prædictas maximas, & primò de prima. Raymundista veró primò ponit syllogimos suos. Averroysta promisit quod postmodum faceret suos syllogismos oppositos.

DE SYLLOGISMIS VNITATIS.

8. ANtequam verò Raymundista syllogizaret, voluit dicere ista verba. Credere autem habet duas species. Vna est, credere quod disponit intellectum, ut intelligat verum, cujus intellectus objectum, est intelligibile: sicut dixit Isayas Propheta, *Nisi credideritis, non intelligetis*. Dixit Raymundista, per istam speciem intendo procedere faciendo syllogismos meos; non autem per secundam quæ disponit intellectum ad ignorare, cujus objectum est ignorabile, sicut dixit David Psalmo 52. *dixit incipiens in corde suo, non est DEVS*.

9 Istæ autem duæ species sunt contradictoriæ, quia una implicat veritatem, & alia falsitatem. Postea vero ait Raymundista. 1. Omne ens magis u-

pum

num ponit majorem poſsibilitatem quàm ens minus unum; ſed Deus eſt ens magis unum: ergo ponit majorem poſsibilitatem, quam ens minùs unum. Ad conſequentiam iſtius, ſequitur, quod Divina poteſtas eſt abſoluta ſimpliſitèr, cò quia eſt ens magis unum, quam aliquod aliud ens minus unum impedire non poteſt. Averroyſta da oppoſitum, & conſequentiam oppoſitam.

10 2. Ait Raymundiſta. Omne ens magis unum habet majorem actionem, quam ens minùs unum; ſed DEVS eſt ens magis unum: ergo habet majorem actionem, quám ens minus unum. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quod DEVS poteſt agere miraculosè in ſubjecto minus uno. Averroyſta da ſyllogiſmum oppoſitum, & conſequentiam oppoſitam.

11 3. Omne quod ponit poſsibile magis unum non poſtet impediri ab impoſsibili minùs uno; ſed DEVS ponit hujuſmodi: ergo &c. Ad conſequentiam iſtius ſequitur quod DEVS poteſt eſſe unus homo magis unus, poſita Incarnatione Filii DEI. Averroyſta da oppoſitum ſyllogiſmum, & conſequentiam oppoſitam.

12. 4. Omne illud eſt impoſsibile, per quod contradictio poteſt eſſe; ſed ponere quod Divina unitas ſit perfecta, & imperfecta eſt impoſsibile: ergo neceſſarium eſt ponere Divinam unitatem perfectam, vel imperfectam. Ad conſequentiam iſti-

istius sequitur quod Divina unitas simpliciter sit infinita, aut finita. Averroysta da oppositum.

13 5. Nullum ens magis unum ponit possibile contra suam unitatem magis unam; sed DEUS est hujusmodi: ergo &c. Ad consequentiam istius sequitur, quod in Divina unitate, unire, uniens, & unibile distincta sunt, remanente essentia unitatis magis una. Averroysta da oppositum.

DE SYLLOGISMIS OPERATIONIS.

14. Ait Raymundista. 6. Omnis operatio necessaria est magis magna, quàm possibilis; operatio DEI est necessaria: ergo &c. Ad consequentiam istius sequitur, quod DEUS agat in semetipso intrinsecè, ut putà relativè in Divinis personis distinctis. Averroysta da oppositum.

15. Nulla operatio est de genere impossibilitatis; operatio DEI extrinseca est operatio: ergo &c. Ad consequentiam istam sequitur, quod nulla operatio DEI extrinseca est impossibilis: potest ergo DEUS aliquid agere de nihilo, & aliquid de aliquo miraculosè. Averroysta da oppositum.

16. 8. Raymundista. Nulla operatio sine distinctione est possibilis; operatio DEI est possibilis: ergo necessariò in operatione DEI sequitur distinctio. Ad consequentiam istam sequitur productio in divinis. Averroysta da oppositum.

17. 9. Omnis operatio requirit operans, ope-

ratum, & operari necessariò distincta; sed in DEO est hujusmodi: ergo &c. Ad consequentiam istam sequitur Beatissma Trinitas. Averroysta da oppositum.

18. 10. Raymundista. In nulla operatione tantum potest major impossibilitas, quantum potest major possibilitas: ergo in operatione DEI plus potest possibilitas, quàm impossibilitas. Ad consequentiam istius sequitur, quod nullum impossibile potest impedire ea, quæ secundum DEVM sunt possibilia: potest ergo DEVS agere ad suum placitum de suo effectu. Averroysta da oppositum.

DE SYLLOGISMIS BONITATIS.

19. Ait Raymundista. 11. Nulla impossibilitas potest impedire majorem possibilitatem bonitatis; sed major possibilitas bonitatis est quod DEVS sit incarnatus, Creator, & quod possit esse sine cœlo, & agere immediatè, & causare aliam vitam: ergo nulla potestas hoc impedire, potest. Ad consequentiam istam sequitur, quod quidquid dicitur contra Sanctam Fidem Chatolicam est falsum, & impossibile. Averroysta da syllogismum oppositum.

20. 12. Omnis forma est magis bona, potens &c. quam materia; sed DEVS est forma: ergo DEVS est magis bonus, potens &c. quam materia. Ad consequentiam istam sequitur, quod DEVS

est

eſt denudatus ab omni materia ; aliter in ſua eſſentia eſſet magis, & minús quod eſt impoſsibile. Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quod DEVS poteſt plus in materiam agere, quám materia pati poſsit: & ideo ſequitur quod agit ſupra materiam miraculosè, ut appareat, quod ipſa poſsit plus agere in materiam, quám materia poſsit pati naturalitèr.

21. 13. Omnis bonitas plus poteſt agere per poſsibile, quam malitia poſsit impedire bonum agere per impoſsibile ; ſed DEVS eſt bonitas: ergo DEVS poteſt plus benè agere per poſsibile, quàm malitia ipſum impedire poſsit per impoſsibile. Ad conſequentiam ſequitur, quod Divina bonitas ſit omnipotens. Averroyſta da oppoſitum.

22. 14. Nulla bonitas habet velle, quod in ipſa ſit bonificare impoſsibile; ſed DEVS eſt bonitas: ergo DEVS non habet velle quod in ſua bonitate ſit bonificare impoſsibile. Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quod in Divina bonitate ſunt tria correlativa ſcilicet bonificans, bonificatum, & bonificare, quoniam bonificare non poteſt eſſe ſine bonificante, & bonificabili. Averroyſta da oppoſitum.

23. 15. In omni bonitate eſt neceſſario bonificare in potentia, aut in actu ; in Divina bonitate eſt bonificare, non in potentia: ergo in Divina bonitate eſt bonifiicare in actu. Ad conſe-

quentiam

quentiam iſtam ſequitur, quod in Divina bonitate ſit bonificare actus purus. Averroyſta da oppoſitum.

DE SYLLOGISMIS MAGNITVDINIS.

24. Ait Raymundiſta. 16. In nulla magnitudine cõvenit magis impoſsibile, quàm poſsibile; DEVS eſt magnitudo: ergo in Divina magnitudine non convenit magis impoſsibile, quám poſsibile. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd in Divina magnitudine, magnificare, ſivè maximare non ſit impoſsibile. Averroyſta da oppoſitum.

25. 17. Nullum impoſsibile eſt de genere magnitudinis; DEVS eſt magnitudo: ergo nullum impoſsibile eſt de genere DEI. Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quód omnia ſunt poſsibilia apud DEVM. Averroyſta da oppoſitum.

26. 18. Nulla magnitudo eſt maxima ſinè maximare; magnitudo DEI eſt maxima: ergo in magnitudine DEI eſt maximare. Ad conſequentiam iſtam ſequitur quòd in eſſentia DEI ſit maximatum increatum, & in mundo, DEVS Filius factus homo. Averroyſta da oppoſitum.

27. 19. Nulla magnitudo, quæ convertitur cum bonitate, æternitate &c. eſt limitata, & impedita; Divina magnitudo convertitur cum bonitate, æternitate &c. ergo Divina magnitudo non eſt impedita, nec limitata. Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quòd DEVS poteſt agere maximé

intrinſecè, & extrinſecè ad placitum. Averroyſta da oppoſitum.

28. 20. Nulla magnitudo eſt magna ſine tribus correlativis magnis diſtinctis; DEVS eſt magnitudo: ergo non eſt ſine tribus correlativis magnis diſtinctis. Ad conſequentiam iſtam ſequitur Beatiſsima Trinitas. Averroyſta ſyllogiza in oppoſitum.

DE SYLLOGISMIS ÆTERNITATIS.

29. AIt Raymundiſta. 21. Impoſsibile eſt quòd æternitas abſoluta ſit infinita ſine correlativis diſtinctis; DEVS eſt æternitas abſolutè infinita: ergo non poteſt eſſe ſine correlativis infinitis diſtinctis. Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quòd in DEO ſit Deitans, Deificatum, & Deificare, & per coſequens Divina Trinitas. Averroyſta ſyllogiza oppoſitum.

30. 22. Impoſsibile eſt quod in æternitate ſit aliqua novitas; DEUS eſt æternitas: ergo impoſsibile eſt in DEO, quod ſit aliqua novitas. Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quod poſito, quod mundus ſit novus, non propter hoc ſequitur, quod in DEO ſit mutatio, neque aliqua novitas. Averroyſta da oppoſitum.

31. 23. Impoſsibile eſt quod novitas habeat naturam ſine æternare; DEVS eſt æternare: ergo impoſsibile eſt quod ſit novitas ſine DEO. Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quod poſito quod DE-

VS

VS necessariò sit, sequitur novitas. Averroysta da oppositum.

32 24. Quidquid est possibile per æternitatem est impossibile per novitatem; sed possibile est per æternitatem novare: ergo impossibile est per novitatem novare. Ad consequentiam istam sequitur, quod posito quod mundus sit novus propter hoc non sequitur, quod in DEO sit mutatio, atque novitas. Averroysta da conclusionem in oppositum.

33. 25. Nullum ens in quo bonitas, & æternitas sunt unum, & idem, est causa malitiæ; sed DEUS est hujusmodi: ergo DEVS non est causa malitiæ. Ad consequentiam istam sequitur, quod mundus non sit æternus; Quia si sic, DEVS esset causa malitiæ. Averroysta da oppositum.

DE SYLLOGISMIS POTESTATIS.

34. DIxit Raymundista. 26. Nullum impossibile potest impedire id, quod est magis possibile. Ad maximam istam sequitur iste syllogismus. Omne ens magis bonum potest agere citiùs majus bonum, quám minus bonum; DEVS est ens magís bonum: ergo potest potiùs agere majus bonum, quàm minùs bonum. Ad consequentiam istam sequitur, quod DEVS potest esse de DEO, & quòd potest esse incarnatus, & esse sine cœlo, & hujusmodi. Averroysta da oppositũ.

Nullum

35. 27. Nullum poſsibile neque impoſsibile poteſt eſſe ſine poſſe; ſed poſsibile, & impoſsibile habent eſſe : ergo non ſunt ſine poſſe. Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quòd eſt poſſe abſolutum, quòd cauſat poſsibile, & impoſsibile, quòd poſſe eſt DEUS, qui poteſt omnia. Averroyſta da oppoſitum.

36. 28. Quia poſsibile dicit eſſe, & impoſsibile non eſſe, plùs poteſt potens per poſsibile, quám per impoſsibile. Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quòd DEUS potuit ſe facere hominem, mundum creare, & poteſt hominem reſuſcitare, & hujuſmodi. Averroyſta da oppoſitum.


37. 29. Impoſsibile eſt, quòd ſit aliquod agere ſine poſſe. Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quòd impoſsibile eſt divinam Poteſtatem non eſſe infiniti vigoris, & eſſe finiti vigoris. Averroyſta da oppoſitum.

DE SYLLOGISMIS INTELLECTVS.

38. Ait Raymundiſta. 31. Impoſsibile eſt, quòd intellectus ſit intelligere ſine diſtinguere; in Intellectu divino eſt intelligere : ergo in Intellectu divino eſt diſtinguere. Ad conſequētiam iſtius ſequitur, quòd in Intellectu divino ſint correlativa diſtincta : ergo Trinitas. Averroyſta da oppoſitum.

39. 32. Impoſsibile eſt, quód intellectus ſit

agens,



agens, niſi habeat objectum proprium; ſed omnis intellectus eſt agens: ergo impoſsibile eſt quòd ſit agens, niſi habeat objectum proprium. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quód omnis intellectus agens ſit intellectus habens objectum proprium, utputà intellectum, & quod non ſit unus intellectus in omnibus hominibus, quia non haberet objectum proprium, neque propriam paſsionem, ſcilicet intelligibilitatem. Averroyſta da oppoſitũ.

40. 33. Impoſsibile eſt, quòd intellectus poſsibilis ſit de genere actionis; ſed in homine eſt intellectus poſsibilis: ergo intellectus poſsibilis hominis non eſt de genere actionis. Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quòd implicat contradictionem ponere, quód intellectus poſsibilis in quantum poſsibilis ſit agens, quia intellectus poſsibilis, & intellectus agens differunt relativè ad cujus conſequentiam ſequitur, quòd eſt impoſsibile, quód ſit unus intellectus in omnibus hominibus. Averroyſta da oppoſitum.

41. 34. Impoſsibile eſt, quód intellectus magis appetat credere, quám intelligere; ſed tu Averroyſta dicis: quód credis Fidem Catholicam eſſe veram, cum ſis Chriſtianus, & dicis, quòd ſecundúm modum intelligendi, impoſsibile eſt, quòd ipſa ſit vera: ergo ad conſequentiam iſtius implicas contradictionem. Averroyſta da oppoſitum.

42. 35. Non eſt poſsibile, quòd intellectus in-

telligat extrà ſuam propriam paſsionem; ſed intellectus qui eſt in homine intelligit: ergo non eſt poſsibile, quòd intelligat extra ſuam propriam paſsionem. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd in intellectu ſint intelligens, intelligibile, & intelligere, & quod in ſimul ſint idem intellectus, ſivè eadem eſſentia. Et ad conſequentiam iſtam ſequitur, quod eſt impoſsibile, quod ſit unus intellectus in omnibus hominibus. Averroyſta da oppoſitum.

DE SYLLOGISMIS VOLVNTATIS.

43. AIt Raymundiſta. 36. In actu voluntatis, magis eſt poſsibile velle, quam nolle. Ad conſequentiam iſtam ſequitur iſte ſyllogiſmus. Illa poteſtas, quæ eſt voluntas poteſt tantum de bono; quantum voluntas poteſt velle bonum, & odire malum; ſed DEVS eſt illa poteſtas: ergo DEVS poteſt tantum de bono quantum ſua voluntas poteſt velle bonum, Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quod Divina voluntas poteſt velle productionem in Divinis, cum ibi ſit poſsificare, & bonificare infinitum, & æternum, & poteſt velle, quod ejus poteſtas ſit infiniti vigoris, & quod poſsit eſſe ſine Cælo, & agere immediatè, & cauſare aliam vitam, cum omnia iſta ſint bona, & amabilia. Averroyſta da oppoſitum.

44. 37. Voluntas cum velle poteſt poſsibile, &

& cum nolle, impoſsibile; ſed DEVS eſt voluntas: ergo cauſat cum velle, poſsibile, & cum nolle impoſsibile. Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quod DEVS ponit poſsibile omne bonum, & non malum: ergo non ponit, quod ipſe ſit finiti vigoris, & hujuſmodi. Averroyſta da oppoſitum.

45. 38. Impoſsibile eſt, quod voluntas ſit magis bona cum nolle, quàm cum velle; ſed DEVS eſt voluntas: ergo DEVS non eſt magis bonus cum nolle, quàm cum velle. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quod in DEO non eſt nolle, cum in ſua voluntate non ſit magis, neque minus; & ideò DEVS non vult eſſe finitus, neque impeditus, neque ignorare particularia, & hujuſmodi. Averroyſta da oppoſitum.

46. 39. Quia voluntas eſt liberè abſoluta abhorret impoſsibile; ſed DEVS eſt voluntas liberè abſoluta: ergo DEVS abhorret impoſsibile. Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quod DEVS abhorret, quod ei, ſit aliquid impoſsibile; & etiam ſequitur, ipſum eſſe Trinum, eſſe impoſsibile. Averroyſta da oppoſitum.

47. 40. Impoſsibile eſt, quod in voluntate, volens non ſit agens, & volibile patiens, ſed DEVS eſt voluntas: ergo impoſsibile eſt quod in ipſo volens non ſit agens, & volibile patiens. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quod DEUS volens eſt agens in producendo Filium, & cum Filio, Spiri-

tum

tum Sanctum; Filius autem est patiens, in quantum est generabilis, & Spiritus Sanctus, in quantum est spirabilis, ab omni materia denudatus; Quoniam materia non est in essentia DEI volibilis, cum non posit esse sine quantitate. Averroysta da oppositum.

DE SYLLOGISMIS VIRTVTIS.

48. AIt Raymundista, 41. Nulla virtus sine objecto proprio est posibilis; sed DEUS est virtus: ergo sine objecto proprio non est posibilis. Ad consequentiam istam sequitur, quod DEVS habet proprium objectum, & per consequens proprium amabile magnificabile, æternabile, & hujusmodi, ad quod sequitur Trinitas. Averroysta da oppositum.

49. 42. Nulla virtus est major per imposibile, quám per posibile; sed DEUS est virtus ergo &c. Ad consequentiam istius sequitur, quòd in DEO non est imposibile, & si sit, necessario sequitur, quòd sua virtus esset absoluta, & impedibilis, quod est contradictio. Averroysta da oppositũ.

50. 43 Imposibile est, quod aliquis habitus hominis sit virtuosus sine benè agere; sapientia est virtus hominis: ergo imposibile est, quod sit virtuosus habitus sine benè agere; hoc est benè intelligere. Ad consequentiam istius sequitur, quod ille sapiens est virtuosus, qui attribuit DEO omnem

perfectio-

perfectionem. Averroista da oppositum.

51. 44. Nulla virtus inferior potest impedire virtutem superiorem; DEVS est virtus superior: ergo nulla virtus inferior potest ipsum impedire. Ad consequentiam istius sequitur, quòd Divina Trinitas non potest esse impedita, neque Incarnatio, Creatio, Resurrectio, & hujusmodi: & sequitur quod DEVS potest esse, & agere sine cœlo. Averroysta da oppositum.

52. 45. Impossibile est, quòd virtus activa sit passiva. Ad consequentiam istam sequitur iste syllogismus. Nullus intellectus possibilis potest esse intellectus activus; sed intellectus unus, quem tu ponis in omnibus hominibus est possibilis: ergo non est activus, neque per consequens intelligens. Averroysta da oppositum.

DE SYLLOGISMIS VERITATIS.

53. Ait Raymundista. 46. Impossibile est quòd aliquod ens verum sit, sine actu veritatis; sed DEVS est ens verum: ergo impossibile est, quod DEVS sit verus sine actu veritatis. Ad consequentiam istius sequitur, quòd in veritate Divina sit verificare, & per consequens verificans, & verificatum. Et ideò ostenditur Trinitas. Averroysta da oppositum.

54. 47. Impossibile est, quòd veritas sit infinita sinè verificare infinito; sed DEVS est veritas,

& infinitas: ergo impoſsibile eſt, quòd ſit ſinè infinito verificare. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd ſicut infinitus eſt per infinitum verificare, ita ſit infinitus per infinitum poſsificare, bonificare &c. cum ſuæ rationes convertibilitèr una de alia poſsint prædicari. Averroyſta da oppoſitum.

55. 48. Nullum ens impoſsibile poteſt auferre à DEO actum veritatis. Ad conſequentiam iſtam ſequitur, quòd Divina poteſtas eſt infinita per actum veritatis: ſicut eſt infinita per actum æternitatis: Quare ergo tu Averroyſta dicis, quod DEVS non eſt infiniti vigoris? Da oppoſitum.

56. 49. Nulla veritas ſub impoſsibili poteſt habere paſsionem; ſed DEVS eſt veritas: ergo non poteſt ſub impoſsibili habere paſsionē. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd DEVS poteſt eſſe incarnatus, & ſine cœlo, & agere immediatè, & hujuſmodi. Averroyſta da oppoſitum.

57. 50. Ueritas, quæ ponit impoſsibile, ponit ipſum, ut poſsit ponere poſsibile; ſed DEVS eſt veritas: ergo ponit impoſsibile, ut poſsit ponere poſsibile. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd DEVS ponit, impoſsibile eſſe quod aliquod ens poſsit ei reſiſtere: ergo ſunt apud eum omnia bona magna &c. poſsibilia. Averroyſta da oppoſitum.

DE SYL-

58. Ait Raymundiſta. 51. Nulla gloria eſt poſſibilis ſinè gloriari; ſed DEVS eſt gloria: ergo non poteſt eſſe ſine gloriari: ſequitur ergo quòd in DEO ſint correlativa intrinſeca, utputà glorians, gloriabile, gloriari, & per conſequens Divina Trinitas. Averroyſta da oppoſitum.

59. 52. Nulla gloria eſt poſsibilis extrà ſuum finem; ſed DEUS eſt gloria: ergo non eſt poſſibilis extrà ſuum finem. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd DEVS eſt ſimpliciter per ſe, & propter ſe exiſtens, & agens, & quòd extrá ſe poſsit agere ad placitum ſine aliquo adjuvamento: poteſt ergo ſine cœlo, & ſuper naturam. Averroyſta da oppoſitum.

60. 53. Extrá veritatem nulla gloria eſt poſſibilis; ſed DEUS eſt veritas: ergo extra DEVM nulla gloria eſt poſsibilis. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd DEVS intelligit omnia particularia; quia ſi non, eſſet gloria in particularibus extrà Divinum intellectum. Averroyſta da oppoſitum.

61. 54. Gloriari in eſſentia æternitatis non eſt impoſsibile; ſed DEVS eſt æternitas: ergo in DEO gloriari non eſt impoſsibile. Quare ergo negas Trinitatem? quoniam ubicumque eſt gloriari, eſt glorians, & gloriabile. Averroiſta da oppoſitum.

62. 55. Impoſsibilitas non habet ſubjectum

in quo poſsit impedire gloriari infinitum; ſed DEVS eſt gloriari infinitum: ergo impoſsibilitas non habet ſubjectum in quo poſsit impedire DEVM. Averroyſta da oppoſitum.

DE SYLLOGISMIS ACTVS.

63. A Ixit Raymundiſta. 56. Omne ens exiſtens actu per poſsibile, & impoſsibile eſt neceſsitatum, & á DEO cauſatum; cœlum eſt hujuſmodi: ergo cœlum eſt neceſsitatum, & à DEO cauſatum. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quod cœlum eſt noviter actuatum, eò quia cum poſsibili, & impoſsibili eſt neceſsitatum. Averroyſta da oppoſitum.

64. 57. Impoſsibile eſt, quòd in actualitate actualiſsima ſit *ante*; ſed DEVS eſt actualitas actualiſsima: ergo impoſsibile eſt, quòd in DEO ſit *ante*. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd in DEO nihil eſt extrinſecè in potentia, antequam ſit in actu, cum ſit actus purus, & ex conſequenti ſequitur, quòd poſito, quòd mundus ſit novus, novitas, & mutatio non fuit ante in DEO in potentia; neque DEUS cum cœlo ſe habuit ad omnia. Averroyſta da oppoſitum.

65. 58. Nulla actualitas per ſe neceſſaria eſt poſsibilis; ſed DEVS eſt actualitas per ſe neceſſaria: ergo DEVS non eſt poſsibilis. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd DEVS cum cœlo non eſt

poſsi-

possibilis, ad omnia; sed per se simpliciter potest omnia. Averroysta da oppositum.

66. 59. Omne possibile magis est circà ens in potentia, quám circá ens in actu; sed DEVS est ens in actu: ergo possibile magis se habet circá ens in potentia, quàm in DEO, vel circà DEVM. Ad consequentiam istius sequitur, quòd possibile simplicitèr est extrá DEVM, & est instrumentum ejus, ratione cujus sequitur, impossibile esse, quòd DEVS sit novatus, atque mutatus, posito quòd mundus sit creatus. Averroysta da oppositum.

67. 60. In ente quod est in actu, non intrat possibile neque impossibile; DEVS est ens actu: ergo in DEO non intrat possibile, neque impossibile. Ad quod sequitur: quod DEVS existens purus actus, potest agere ad placitum extrâ se, & intrà se, cum possibile, & impossibile non sint sibi coëssentialia. Averroysta da oppositum.

DE SYLLOGISMIS PERFECTIONIS.

68. DIxit Raymundista. 61. Omne per se perfectum, est remotum à possibili, & impossibili; sed DEVS est hujusmodi: ergo &c. Ad cõsequentiã istius sequitur, quòd quidquid agit DEVS intrà se, agit extrà possibile, & impossibile. Et ideó quid mirum si mundus est novus, quin propter hoc DEVS sit mutatus, sive novatus; & quid mirum, si non diligat Sortem, dum est peccator; & po-

ſtea diligat ipſum, dum habet contritionem de commiſsis! Averroyſta da oppoſitum.

69. 62. Omnis perfectio dependens à poſsibili, & impoſsibili eſt imperfecta; ſed cœlum eſt hujuſuſmodi: ergo cœlum eſt imperfectum. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd perfectio DEI cum ſit perfectiſsima, non dependet à coadjuvamentis cœli; ſed è converſo. Averroyſta da oppoſitum.

70. 63. Impoſsibile eſt quòd perfectio exiſtens in potentia adducatur ad actum ſinè perficere; ſed DEUS eſt perficere: ergo ſine DEO, perfectio exiſtens in potentia non reducitur ad actum. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quod nihil in potentia exiſtit in DEO quoad ſuam eſſentiam. Averroyſta da òppoſitum.

71. 64. Impoſsibile eſt quòd perfectio ſit extrà naturam; ſed DEVS eſt perfectio: ergo DEUS non exiſtit extrà naturam. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd DEVS habet naturam, quæ natura poteſt ſupra aliam naturam ad placitum. Averroyſta da oppoſitum.

72. 65. Impoſsibile eſt quòd ens imperfectum inficiat ens perfectum; ſed ens imperfectum eſt vitium: ergo vitium non inficit ens perfectum. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd non eſt vitium DEO, quòd intelligat particularia. Averroyſta da oppoſitum.

DE SYLLO-

73. Ait Raymundista. 66. Sinè pluribus nulla differentia est possibilis; sed in intellectu Divino sunt plura correlativa: ergo sine differentia sunt impossibilia. Ad consequentiam istius sequitur, quòd in omnibus dignitatibus DEI sunt correlativa distincta, cum de intellectu Divino, omnes aliæ rationes prædicari possint. Averroysta da oppositum.

74. 67. Impossibile est, quòd differentia, quæ est inter causam, & effectum sit extrá possibile, & impossibile necessitata; sed inter DEVM, & Angelum est differentia: ergo non est extrà possibile, & impossibile necessitata. Ad consequentiam istius sequitur, quòd relatio inter primam causam, & secundam est relatio necessitata tantum quoad possibile, & impossibile quæ sunt entia causata, & subalternata. Averroysta da oppositum.

75. 68. Omnis differentia est magis possibilis per concordantiam, quam per contrarietatem; sed pluralitas est differentia: ergo magis est possibilis per concordantiam, quàm per contrarietatem. Ad consequentiam istam sequitur, quod concordantia ponit habitum positivum, qui convenit cum esse; & contrarietas privativum, qui convenit cum non esse. Potest ergo DEUS se facere hominem mendiante concordantia sinè contrarietate,

&

& poteſt creare cœlum non contradicendo ſibi ipſi. Averroyſta da oppoſitum.

76. 69. Impoſsibile eſt principium eſſe ſinè differentia; ſed DEUS eſt principium: ergo impoſsibile eſt DEUM eſſe ſinè differentia. Ad cōſequentiam iſtius ſequitur, quòd DEUS eſt principium per ſe ipſum, in ſe ipſo, & propter ſe ipſum, de ſe ipſo, & cum ſe ipſo, & hoc ſimpliciter; aliter eſſet principiū, per accidens & ſimpliciter, quòd eſt impoſsibile; & ideò ſequitur Beatiſsima Trinitas in qua DEVS Pater principiat DEVM Filium, de ſe ipſo, & ad invicem de ſe ipſis ſpirant Spiritum Sanctum, & hoc benè, magnè, æternè, &c. Averroyſta da oppoſitum.

77. 70. Impoſsibile eſt, quod aliqua differentia ſit extrà *Concordantiam*, aut extrá *Contrarietatem*; ſed inter DEVM, & ſuum effectum eſt differentia: ergo impoſsibile eſt quòd non ſit per *Concordantiam*, aut per *Contrarietatem*, aut per utramque. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd ipſa differentia ſit per *Concordantiam*, cum DEUS benè, magnè, &c. cauſet ſuum effectum; non autem per *Contrarietatem*; quia ſi ſic, cauſaret peccatum, quòd eſt impoſsibile. Averroyſta da oppoſitum.

DE SYLLOGISMIS CONCORDANTIÆ.

78. Dixit Raymundiſta. 71. Nullum impoſsibile eſt de genere concordantiæ; ſed

DEVS

DEVS eſt concordantia : ergo nullum impoſsibile eſt de genere DEI. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd in divinis Rationibus non eſt aliquìd impoſsibile de genere earum; ad quod ſequitur quòd DEVS qui prædicatur de ipſis non eſt impeditus per aliquod impoſsibile intrà ſe, neque extrà ſe : eſt ergo DEVS ens ſingulare abſolutum ad omnia. Averroyſta da oppoſitum.

79. 72. Omnis Concordantia per ſe ponit poſsibile; ſed DEVS eſt concordantia : ergo DEUS per ſe ponit poſsibile. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd nullum ens poteſt ponere impoſsibile contrá DEUM. Averroyſta da oppoſitũ.

80. 73. Impoſsibile eſt quòd *Concordantia*, & *Contrarietas* ſe habeant æqualitèr circà idem; ſed DEUS eſt concordantia: ergo impoſsibile eſt quòd DEUS, & contrarietas æqualiter ſe habeant circá idem. Ad conſequentiam iſtius ſequitur quod DEVS plùs habet cum ſua concordantia, & cum ſua bonitate, magnitudine &c. contrà contrarietatem, quám natura naturata contrá naturam divinam. Averroyſta da oppoſitum.

81. 74. *Concordantia* ponit poſsibile, & *Contrarietas* impoſsibile. Ad conſequentiam iſtius propoſitionis, ſequitur iſte ſyllogiſmus. Omne poſsibile eſt antequam impoſsibile; ſed generatio eſt poſsibilis; ergo eſt antequam corruptio per impoſsibile. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd po-

ſito quod DEVS agit immediatè, non propter hoc movet omnia in inſtanti. Averroyſta da oppoſitum.

82. 75. Impoſsibile eſt quod in ente in quo eſt *Concordantia* infinita, ſit *Contrarietas*; ſed DEUS eſt concordantia infinita ſuarum ſcilicet Rationum: ergo impoſsibile eſt, quod in DEO ſit Contrarietas. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd impoſsibile eſt, quòd Divina poteſtas ſit á parte æternitatis infinita, & á parte ſui ipſius, & bonitatis, magnitudinis &c. finita. Averroyſta da oppoſitum.

DE SYLLOGISMIS PRINCIPII.

83. DIxit Raymundiſta. 76. Impoſsibile eſt, quod principium principaliſsimũ ſit impedibile; DEUS eſt hujuſmodi: ergo &c. Ad cõſequentiam iſtius ſequitur, quòd in eſſentia DEI ſit *Principians*, *Principiatum*, *&* *Principiare*; & quòd ſit impoſsibile aliquod eſſe, quod impediat ipſa correlativa neque intrà, neque extrà. Averroyſta da oppoſitum.

84. 77. Nullum Principium quod in Fine quieſcit ſimplicitèr, eſt impedibile; ſed DEUS eſt hujuſmodi: ergo DEVS non eſt impedibilis. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quod DEVS poteſt eſſe ſine cœlo, & ſine ipſo agere, reſuſcitare homines, & propter majorem finem agere, & hujuſmodi. Averroyſta da oppoſitum.

85. 78. Nullum principium ſine principiare eſt poſsibile; DEUS eſt principium: ergo DEVS ſine principiare non eſt poſsibilis. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd in eſſentia DEI ſit intrinſecè principians, principiabile, & principiare, & quòd ab extrà, omne principiare ſit in novitate, & tempore. Averroyſta da oppoſitum.

86. 79. Impoſsibile eſt quòd principium principaliſsimum ſit finis alicujus ab extrá, niſi ſit effectus ejus; ſed DEVS eſt principium principaliſsimum: ergo impoſsibile eſt, quod ſit finis alicujus ab extrà, niſi ſit effectus ejus. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quod principium principaliſsimum ambiat ſimpliciter, & comprehendat omnia alia quoniam eſt finis. Averroyſta da oppoſitum.

87. 80. Impoſsibile eſt quòd principium agens ſit agibile; ſed forma eſt principium agens: ergo impoſsibile eſt quòd forma ſit principium agibile. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd impoſsibile eſt quòd intellectus poſsibilis ſit agens, neque per conſequens eſt unus intellectus in omnibus hominibus. Averroyſta da oppoſitum.

DE SYLLOGISMIS NATVRÆ.

88. Dixit Raymundiſta. 81. Impoſsibile eſt, quod natura, quæ eſt per ſe neceſſaria, ſit per poſsibile, & impoſsibile; ſed DEVS eſt natura per ſe neceſſaria: ergo impoſsibile eſt, quòd

DEVS ſit per poſsibile, & impoſsibile. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd naturans poteſt agere ad placitum ſuprà naturam naturatam miraculoſè, cum ſit infinita, & profunda cum ſuis infinitis correlativis, & profundis, hoc eſt cum poſsibili ſuper impoſsibile. Averroyſta da oppoſitum.

89. 82. Impoſsibile eſt, quòd natura, quæ dependet ab alio ſit neceſſaria; ſed natura cœli dependet ab alio: ergo impoſsibile eſt, quod natura cœli ſit neceſſaria. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd natura cœli eſt à contingentia, & per cõſequens nova, & eſt poſsibile ipſam non eſſe. Averroyſta da oppoſitum.

90. 83. Poſsibile ponit, quòd inter naturam ſupremam, & finitam, quæ infinitè diſtant, ſit actus ſupernaturalis; ſed ipſe actus ſupernaturalis eſt ipſe DEVS: ergo DEVS poteſt ſuper actum naturalem infimum. Ad conſequentiam iſtius ſequitur relatio intrinſeca, & extrinſeca, & per ſuperiùs, & inferiùs. Averroyſta da oppoſitum.

91. 84. Nulla natura, quæ eſt magis prompta per impoſsibile, quàm per poſsibile, eſt per ſe manens; ſed natura cœli eſt hujuſmodi: ergo &c. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd cœlum potuit non eſſe: ac etiam ſequitur quòd habuit novum eſſe. Averroyſta da oppoſitum.

92. 85. Impoſsibile eſt naturam eſſe ſine correlativis naturalibus; ſed rationes DEI ſunt Di-

vina natura: ergo impoſsibile eſt, quod Divinæ rationes ſint ſinè correlativis naturalibus. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd eſt impoſsibile, quòd Divina natura ſit intrinſecè otioſa. Averroyſta da oppoſitum.

DE SYLLOGISMIS SINGVLARITATIS.

93. Dixit Raymundiſta. 86. Extrà ſingularitatem impoſsibile eſt invenire unitatem infinitam; ſed DEVS eſt ſingularitas: ergo extrà DEVM impoſsibile eſt invenire unitatem infinitam. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd plures eſſentiæ infinitæ differentes numero eſſe non poſſunt, & quòd Divinæ Perſonæ eſſe non poſſunt niſi tres. Averroyſta da oppoſitum.

94. 87. Impoſsibile eſt invenire ens ſingulare ſine propria proprietate; ſed DEVS eſt hujuſmodi: ergo impoſsibile eſt quòd DEVS ſit ſinè propria proprietate. Ad conſequentiam iſtius ſequitur quòd in DEO neceſſariò ſunt proprietates, ſcilicet Paternitas, Filiatio, & Paſsiva Spiratio: Et etiam poteſt dici quòd ſua bonitas optima, ſua magnitudo maxima &c. ſunt ei proprietates abſolutę. Averroyſta da oppoſitum.

95. 88. Impoſsibile eſt, quòd aliquod ens impediat ſingularitatem æternitatis; ſed DEVS eſt ens: ergo impoſsibile eſt, quòd ipſe impediat ſingularitatem æternitatis. Ad conſequentiam iſtius

ſequi-

ſequitur, quòd mundus ſit novus; Quia ſi non, tot eſſent æternitates, quot ſunt Angeli, ſtellæ &c., & DEVS impediret ſuam ſingularem æternitatem, quód eſt impoſsibile. Averroyſta da oppoſitum.

96. 89. Impoſsibile eſt, quòd ens ſingulare non ſit unum; ſed DEVS eſt hujuſmodi: ergo &c. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd ſua poteſtas ſit una, & ita infinita, quoad ſuam poſsificabilitatem, ſicut eſt infinita, quoad ſuam æternitatem, ſivè æternationem, & ſic de cæteris. Averroiſta da oppoſitum.

97. 90. Impoſsibile eſt, quòd in correlativis divinis ſit ſingularitas ſinè diſtinctione; ſed in divino Intellectu ſunt correlativa, & in divina Bonitate, Magnitudine, &c. ergo impoſsibile eſt, quòd in ipſis ſit ſingularitas ſinè diſtinctione. Ad conſequentiam iſtius ſequitur neceſſariò, quòd impoſsibile eſt, quòd intelligens ſit intellectum & intelligere, & è converſò quoad relationem; dico autem quòd ſunt idem quoad unam eſſentiam Divinam ſingularem. Averroyſta da oppoſitum.

DE SYLLOGISMIS ALTITVDINIS.

98. DIxit Raymundiſta; 91. Impoſsibile eſt, quòd aliqua cauſa ſit Altiſsima, niſi ſit cauſans & efficiens effectum; ſed DEVS eſt cauſa: ergo impoſsibile eſt quòd ſit altiſsima, niſi ſit cauſans & efficiens effectum. Ad conſequentiam

iſtius

istius sequitur quód cœlum est creatum de nihilo, & hujusmodi. Averroysta da oppositum.

99. 92. Impossibile est, quòd altitudo altissima sit effectus; sed divina Potestas est altitudo altissima: ergo impossibile est, quòd sit effectus. Ad consequentiam istius sequitur, quòd divina Potestas sit in tantum infinita quoad suam potestatem, quantum quoad æternitatem. Alitèr sua infinitas à parte æternitatis esset effectus, & sic de divina Bonitate, Magnitudine, &c. Averroysta da oppositum.

100. 93. In altitudine altissima non est impossibile; sed DEVS est altitudo altissima: ergo in DEO non est impossibile altificare. Ad consequentiam istius sequitur, quòd in essentia sua altificat divinas Personas per bonitatem, magnitudinem &c.; & in ipsis altificat humanam naturam in qua fecit se hominem Jesum Christum. Averroysta da oppositum.

101. 94. Impossibile est, quòd voluntas altissima vellet esse infima; DEVS est hujusmodi: ergo &c. Ad consequentiam istam sequitur, quód DEVS vellet esse infimus, si non vellet esse infiniti vigoris, & quód non posset esse sine cœlo, nec agere sine ipso, & quòd vellet esse magis intellectus per unum intellectum in omnibus hominibus, quàm per plures intellectus particulares, & sic de voluntate humana, & memoria: & etiam

vellet

vellet, quòd non esset justus, neque gratiosus in æternum omnibus hominibus beatis. Averroysta da oppositum.

102. 95. Plus potest altitudo per possibile, quàm per impossibile; sed DEVS est altitudo: ergo &c. Ad consequentiam istam sequitur, quòd DEVS potest esse incarnatus, & esse sine cœlo, & agere sine cœlo, & agere suprà naturam naturatam, & hujusmodi, & quòd non potest ponere ad hoc impossibile, quia si sic, ligaret suum possibile, & per consequens altitudinem, quam habet super creaturas, quod est impossibile. Averroysta da oppositum.

DE SYLLOGISMIS QVIETIS.

103. DIxit Raymundista. *96.* In ente in quo possibile, & impossibile convertuntur, nunquam est quies; & si hoc esset, esset in contradictione: ergo in contradictione nunquam est quies. Ad consequentiam istius sequitur, quòd si DEVS non esset infiniti vigoris, cum sit perfectus, esset finiti vigoris; & quòd non esset perfectus, si non posset agere sine cœlo; & quòd est perfectus, quia potest agere sine cœlo; & hujusmodi. Averroysta da oppositum.

104. 97. Ens per se existens in quiete non indiget possibili, neque impossibili; sed DEVS est hujusmodi: ergo &c. Ad consequentiam istius sequitur

quitur, quòd DEVS non haberet infinitam posſificationem per ſuam poteſtatem, ſed per æternitatem, & ſic de bonitate &c; & quód indigeret quiete per poſsibile, & impoſsibile; quòd eſt impoſsibile. Averroyſta da oppoſitum.

105. 98. Omne poſsibile appetit quietem; ſed mundus eſt poſsibilis: ergo appetit quietem. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd omnis effectus appetit quietem in ſua cauſa, & maximè in cauſa prima. Averroyſta da oppoſitum.

106. 99. Impoſsibile non permittit ens in quo eſt eſſe in quiete; ſed in cœlo eſt impoſsibile: ergo non permittit ipſum in quiete, & ſic de ſuo motu, & de generatione, & corruptione, & hujuſmodi. Ad conſequentiam iſtius ſequitur, quòd in eſſentia DEI non eſt impoſsibile, neque in Divina bonitate, magnitudine &c. Averroyſta da oppoſitum.

107. 100. Poſsibile, & impoſsibile per contrarietatem quietari non poſſunt; ſed generatio, & corruptio ſunt contraria: etiam ignis, & aqua &c. ergo poſsibile, & impoſsibile per talia quietari non poſſunt. Per conſequentiam iſtam oſtenditur per quem modum, motus non poteſt eſſe in quiete, neque ſubjectum ejus. Averroyſta da oppoſitum.


108. Ait Raymundus, Contradictio tibi dico, quod centum ſyllogiſmos feci, roga Averroyſtam

 quód

quòd faciat suos tali modo, quòd mei syllogismi, & sui implicent contradictionem in tanto, quòd si ipse arguat verè contradictoriè, quòd mei syllogismi sint falsi, & è converso. Contradictio autem rogavit Averroystam, quòd faceret centum syllogismos oppositos contradictoriè contrà centum syllogismos Raymundistæ, & tunc videbitur, quis habebit veritatem.

Ad laudem, & honorem DEI finivit Raymundus suos centum syllogismos Parisiis mense Februarii anno 1310. Incarnationis Domini Nostri Jesu-Christi.





ILLUMINATI DOCTORIS

B. RAYMUNDI LULLI

MATIRIS TERTII ORDINIS SANCTI FRANCISCI.

LIBER

SUPER QUÆSTIONES MAGISTRI THOMÆ ATTREBATENSIS.

PROLOGUS.



IN Christo Domino nostro Deo, & Beata Virgine Matre ejus, dilectissimo suo Magistro Thomæ Attrebatensi, Raymundus Lullus suus devotus salutem, & amorem.

Vidi, Domine, litteras vestras, in quibus continebatur, quòd solverem vobis aliquas quæstiones, quas cum recepi eram occupatus per unum novum librum de *Geometria*, quem faciebam; postmodum fui occupatus per unum alium librum *Principiorum Theologiæ*; quo finito incepi istum Tractatum: Vnde rogo vos ne habeatis pro malò, quòd tantùm tardaverim.

daverim. Noveritis Dñe, quòd in aliquibus Quæstionibus, respondeo vobis per *Principia Artis* explicitè, ut magis aperiam vobis *Practicam Artis Generalis*, applicando terminos Artis ad Quæstiones; sed fortè aliqui, qui nesciunt Artem, non intelligent; Quare placeat vobis, sicut ego laboro pro bono publico, [Ut scitis] laborare pro ipso; & tali modo ponatis illas Quæstiones, ut possint intelligi per illos, qui nesciunt Artem; & hoc bonum erit, quoniam Quæstiones valdè bonæ sunt.

QVÆSTIO I.

CVm Christus fuerit unum suppositũ, Quæro, quæ fuit forma (*a*) illius? Cum sit ex duabus naturis; scilicet, Divina, & Humana.

1. *Solutio*. Ad istam Quæstionem oportet sic considerare, sicut Ecclesia tenet; & dico, quòd DEVS factus est Homo de Natura Humana in Divino supposito; ita quòd Humanitas in Christo non dat (*b*) esse humanũ; hoc est non facit Hominẽ; sed Suppositum Divinum de Natura Humana facit Hominem, faciendose Hominem per Humanitatem,

ex qua

(*a*) *Non quidem physica & informativa; sed sumptâ formâ pro ratione illa, propter quam Christus est ex duabus naturis unum tantum suppositum & esse, non autem plura.*

(*b*) *Id est non ponit proprium suppositum seu esse humanum, quia non facit hominem, quoniam non facit, quod homo sub propria subsistentia subsistat.*

ex qua est Homo; Et ideò in illo supposito Divinitas, sive Filius DEI est forma antiqua, & æterna, quæ DEVS est, & ipsa forma informat [c] Hominē de humanitate; informando [d] se Hominem: & sic dico, quòd una est forma in Christo; & illa est Divina Natura, quæ cum DEI Filio convertitur, cum sint idem numero; verùntamen, ut Natura Humana Christi non sit de Minori conditione, quàm aliorum hominum, forma humanitatis remanet realitèr in illo supposito; sed pasſivè posseſſa, sub formâ Divinâ, secundùm tertiam speciem *Regulæ D.*

2 Verùntamen si in aliquo ego erravi in ista Quæstione, vel in aliis de DEO, peto correctionem, á Doctoribus Sanctæ Ecclesiæ Romanæ.

QUÆSTIO II.

VTrum DEVS puniat aliquos in hoc mundo pro delictis suis?

1. *Solutio*. Dictum est in *Regula C.* quòd ens considerabile est in se, & in alio: hoc est, *Quid est in se?* & *Quid est in alio?* Et DEVS est ens, quod in se est justum ab æterno, & in æternum: & per consequens in suo effectu, ubicunque effectus sit, & in omni tempore: Vnde concluditur, quòd in

(c) *Id est ponit seu facit hominem formatum, seu perfectum.*

(d) *Hoc est in faciendo, seu reddendo se hominem de humanitate sibi unita.*

in hoc Mundo DEVS puniat Peccatorem pro delictis suis.

2. Verúntamen distinguendum est ratione subjecti, quòd distinctum est per rationativum, & sensitivum; Quoniam quandoque punit Peccatorem quóad sensitivum, quandoque quóad rationativum, ex quibus Peccator constitutus est. In affligendo Corpus per infirmitates, & per illa, quæ ei sunt pertinentia; & Animam per tristitiam, & per ea, quæ ei pertinent; Sed hæc non videtur homini *punitio*: concludo tamen quòd aliquos homines, qui in hoc mundo aliquod bonum faciunt, DEVS remunerat in hoc sæculo, & punit ipsos in alio, si moriantur in peccato mortali.

QVÆSTIO IIJ.

VTrum DEVS ad preces proborum aliquid mutet de futuris (*a*) ab ipso præscitis? quia legitur in sacra Scriptura, quòd Deus per Isaiam Prophetam mandavit Ezechiæ Regi hæc verba: *Dispone domui tuæ quia morieris tu, & non vives*; & propter Regis orationem,& fletum legitur, Deum ipsum Regem á morbo sanasse?

1. *Solutio*. Secundùm *Regulam de C*. hoc, quòd Divina sapientia attingit in creatis, est æternum, & secundum hoc quod DEVS habet in se; sed in-

(*a*) *Non quidem absolutè, sed in causâ futuris, & ab ipso præscitis eodem modo, ut patet ex contextu.*

inmutabile, secundum hoc, quòd ens creatum habet in se, est in tempore, & variabile: & ideò, quia inter DEVM, & hominem justum est magna concordantia, ut significatum est per definitionem medii, DEUS refluit homini justo finem præfatum conformiter ad subjectum in respectu subjecti, quòd variabile est; quoniam sicut radius Solis facit in camera figuram quadratam, si fenestra, per quam intrat, est quadrata, aut circularem, si circularis est fenestra, & triangularem, si est triangularis: ita á simili DEVS, secundum quòd habet vicinitatem per orationem cum homine justo, influit, & refluit ei respectu dispositionis subjecti; unde propter hoc teneo de quæstione, affirmativam; & non sequitur, quòd DEVS sit variabilis in se, sed quòd hoc, quòd recipitur ab ipso in hac vita, est variabile, cum subjectum sit in motu, & in successione temporis.

QVÆSTIO IV.

VTrum omne ens sit similitudo DEI sicut minoritas, quæ est substantialis, & contrarietas, quæ est accidentalis? Et si dicatur quòd sic, in quantum sunt entia; quæro utrum in quantum alia entia? Et si dicatur, quòd non; quæro qualiter habuerunt esse? Cum dissimilitudo DEI, & non ens habeant concordantiam.

Solu-

1. *Solutio.* DEUS creavit mundum propter majoritatem finis, & hoc propter magnitudinem suæ bonitatis, infinitatis & sic de aliis suis attributis; major autem finis est, ut sit ab Angelis, & hominibus recolitus, & intellectus, & dilectus cum majoritate finis: & ideò respectu talis dispositionis suæ recolibilitatis, intelligibilitatis, & amabilitatis; respectu etiam recolitivitatis, intellectivitatis, & amativitatis Angelorum, & hominum, creavit DEVS entia sibi similia, sicut bonitates, magnitudines, durationes, potestates &c. entium corporalium, & spiritualium; & creavit etiam sibi dissimilia bona, scilicet *minoritates, contrarietates naturales*, & sic de aliis ētium corporalium; & hoc, ut per similitudines, & dissimilitudines possit meliùs ab Angelis, & hominibus recoli, intelligi, & amari; & sic de suis dignitatibus, quæ multò meliùs possunt recoli, intelligi, & amari cum similibus & dissimilibus, quám cum similibus tantùm: peccatum autem non creavit, cùm sit malum; & DEUS sine bonitate, quæ opposita est peccato, agere, vel creare aliquid non possit, cum ipse, & sua bonitas sint idem numero.

2. At, quomodò peccatum habeat esse in subjecto creato? Hic esset longus sermo, sed ego breviabo quantum potero. Dicitur in nona Regula, *quod substantia transmittit extra se, suam similitudinem*, & hoc apparet in planta, quæ generat aliam plan-

plantam de suo genere, & de se ipsa, & sic de aliis generabilibus; & hoc idem est de accidentibus, sicut ignis, qui transmittit suam similitudinem, scilicet suam caliditatem in aquam calefactam, & suum colorem in cameram lucefactam, & hoc per medium, ut significatum est in definitione medii, quando dicitur, quòd *medium est subjectum finis, & principii, per influxum, & refluxum, & sapit naturam utriusque.*

3. Unde supposito, quòd medium esset contra suum principium, & suum finem, impediret influentiam principii sui, & finis, & esset contra naturam eorum, & mutaretur in aliud genus, ita quòd per tale medium nunquam planta posset producere plantam, neque substantia suam similitudinem; sed benè posset contra naturam suam, & naturam principii, & finis, transmittere suam dissimilitudinem, ratione varietatis medii: sicut natura, quæ transmittit monstruositatem inferioribus contra suum finem, & principiũ, sicut sextum digitum in manu, & surditatem in puero, & sic de aliis.

4. A simili, & multò magis, homo causat peccatum in semetipso, convertens se contra suum principium, & finem, qui DEVS est; & hoc deviando se á termino, ad quem creatus est, dum eligit alium terminum oppositum per suam liberam voluntatem; non tamen per (*a*) liberum arbitrium

(*a*) *Idest non tamen ex vi ordinationis liberi arbitrii.*

um creatum; ſed per hoc, à quo homo dependet, in quantum eſt de nihilo productus; quoniam propter hoc habet ſic libertatem ad cauſandum peccatum in ſubjecto; cum peccatum ſit nihil in ſe: ſicut ſi DEVS removeret hoc, quòd poſuit in homine per creationem, homo de ſe, & per hoc, quòd per ſe habet, reverteretur ſic in nihilum, ſicut lapis, qui per ſuam ponderoſitatem in aëre deſcendit in ſuum centrum; & ita homo ſic exiſtens in libero arbitrio poteſt eligere bonum per liberum arbitrium creatum, quòd habet per ſe tantum, quòd non eſt creatum malum; Et de iſta diſsimilitudine dictum eſt in *Arbore humanali*, quæ eſt una pars *Arboris ſcientiæ*.

5. Oſtenſum eſt ergo quomodò oritur peccatum [in ſubjecto,] quòd eſt adeò diſsimile DEO, quòd nullam entitatem realiter habet, & non habeat aliquam ſimilitudinem DEI; quia ſi haberet, jam eſſet bonum, in quantum illam haberet ſimilitudinem; ſed eſt ita diſsimile DEO, quòd magis illi diſsimile eſſe non poteſt; & DEVS permittit ipſum peccatum eſſe, ut magis poſsit cognoſci [per ipſum], recoli, & diligi ab Angelis, & hominibus, quoniam hæc eſt magna cognitio Divinæ bonitatis, magnitudinis, poteſtatis, & aliorum attributorum, quòd DEVS ſciverit peccatum eſſe futurum in ſubjecto creato, & ipſe creaverit ſubjectum, tali tamen modo, quòd innocens eſt á peccato, ut ſi-

gnificatum

gnificatum eſt; & ſi non creaviſſet ſubjectum peccati, ſcilicet hominem, aut Angelum, ut peccatum non eſſet futurum, eſſet ligata Divina poteſtas, & ſua voluntas, & ſic de ſua bonitate, & de aliis ſuis attributis, quòd eſt impoſsibile, & contrà infinitam poteſtatem Divinæ bonitatis, voluntatis, &c.: Creavit ergo DEVS Angelos, & homines, & ſcivit ſibi cavere à culpa peccati, & facere ſe innocentem.

QUÆSTIO U.

AN, ſicut dicimus, Bonitas, Magnitudo &c. in DEO ſunt idem numero, ſic poſsimus dicere, perſonalitas, bonitas &c. ſunt idem numero? Similitèr: Vtrùm bonificare, magnificare, & diligere ſint idem numero: Et an Pater, & Filius per diligere ſpirent Spiritum Sanctum perſonam aliam à Filio, & non per bonificare, magnificare &c?

1. *Solutio.* Quod in DEO bonitas, magnitudo, & cætera attributa, [ideò dicitur,] ſunt idem numero, quia ſi non eſſent, bonitas eſſet magna per accidens, quia eſſet magna per magnitudinem, & non per ſe, & ſic de magnitudine, quæ eſſet bona per bonitatem, & non per ſe, & ſic de aliis; & quia in DEO non poteſt eſſe accidens: ergo &c.

2. Item in DEO bonitas, perſonalitas, & ſic de aliis ſunt idem numero per eſſentiam, cum Pa-

ter, qui eſt bonitas, ſit perſona, & in DEO, ſicut eſſentia & eſſe convertuntur, ſic perſonalitas, & perſona, Divinitas, & DEVS: Item bonificare magnificare &c. convertuntur eſſentialitèr; & bonificare eſt idem cum bonitate, & magnificare, cum magnitudine, & convertuntur ratione converſionis bonitatis, & magnitudinis.

Sed híc oportet reccurrere ad Regulas *C.D.E.* & conſiderare ſic. Bonitas DEI, & ſic de magnitudine, & aliis, ſecundùm primam ſpeciem Regulæ *C.* & ſecundùm ſuam definitionem. *Eſt id ratione cujus bonum agit bonum*; & per ſecundam ſpeciem ipſius Regulæ *C.* habet in ſe coëſſentiale, & ſubſtantiale bonificabile, & bonificare; & ideò bonificare per ſecundam ſpeciem Regulæ *D.* eſt de bonificante, & bonificabili: & hoc in generatione, & ſpiratione per Regulam *E.* ut Divina bonitas per tertiam ſpeciem Regulæ *C.* ſit in alio, hoc eſt Pater in Filio: itaque Pater de ſua bonitate generat Filium in bonificando, & generando, ut Filius ſit bonus, & ſit ipſamet bonitas, cum ſit genitus de tota ipſa.

3. Unde ſequitur, quòd bonificare ſit de bonificante, & bonificabili formaliter, & quòd ratione finis ſit perſonale: ita quòd eſt Pater, & eſt Filius eſſentialiter; ſed unum eſt in Patre, ut Pater, aliud in Filio, ut Filius, & hoc ratione relationis, & diſtinctionis Patris, & Filii: ſicut eſſentia

Divi-

Divina, quæ ſub una ratione eſt Pater, & ſub alia ratione eſt Filius, & ſub alia ratione Spiritus Sanctus, ipsâ permanente indiviſa.

4. Item quando dicitur, quòd Pater non ſpirat Spiritum Sanctum per bonificare, magnificare &c, ſed per amare, Reſpondeo dicendo ſic: ſecundùm nonam Regulam, ſubſtantia tranſmittit extrà ſe ſuam ſimilitudinem; & conſidero definitionem æqualitatis: unde ſequitur, quòd Pater in diligendo Filium, & Filius in diligendo Patrem ſpirant Spiritum Sanctum per amorem, & ad hoc concurrunt æqualiter omnes dignitates, ut Spiritus Sanctus ſit bonus per bonificare, magnus per magnificare, & æternus per æternare, & ſic de aliis attributis dignitatum; alioquin non eſſet Spiratus perfectè, neque ſpiratio eſſet perfecta, & dignitates eſſent in illa ſpiratione otioſæ, quòd eſt impoſsibile.

5. Concluditur ergo quòd Pater ſpirat Spiritum Sanctum cum bonificare, magnificare &c. ſed in ipſo ſpirare ſunt omnes actus dignitatum, ita ſub ratione amandi, ſicut in generatione Filii, ſub ratione intelligendi; & diſtinctio, quæ eſt inter Filium, & Spiritum Sanctum, conſiſtit in hoc, quòd Pater intelligendo generat Filium, hoc eſt intelligendo ſe Patrem, intelligit Filium genitum; ſed Pater intelligendo Filium, & Filius Patrem, diligunt ſe eſſe unum ſpiratorem, diligendo unum ſpiratum per amorem.

QVÆS-

QVÆSTIO UI.

VTrum illæ rationes, per quas vos probatis DEVM esse incarnatum, fuerint veræ ante Incarnationem Domini? Quòd si non, quare modò non sunt falsæ? Quia antequam DEUS esset incarnrtus, videntur in DEO defectum includere.

1. *Solutio.* Ad responsionem istius Quæstionis, considero veritatem secundum Regulam *C.*; Ita quòd antequam ego fuissem, rationes, quas modò adduxi, erant in mente Divina, sicut modò sunt; sed secundum me, non; Et antequam DEVS esset incarnatus, jam erant rationes in intellectu Divino, ita benè sicut modò, cum veritas in intellectu Divino sit permanens ab æterno, & in æternum, & immutabilis: & sic ratio vestra non procedit.

QUÆSTIO UIJ.

QVare DEVS non fecit omnes homines, qui fuerunt, sunt, & erunt usque ad finem sæculi, simul? Et durare tantùm, quantùm mundus durabit?

1. *Solutio.* Ad istam quæstionem solvendam oportet considerare Regulam *E.* dicendo sic: Formaliter homines sunt de Anima, & corpore, & corpus est elementatum, & corruptibile per contrarias qualitates, & generabile naturaliter, & est subjectum, vel objectum corporum cœlestium, & sic est

ſt in motu ſucceſsivè de vita ad mortem, & vivit
le cibo, & potu; & ſic de aliis ſibi pertinenti-
ous: item homo acquirit virtutes, aut vitia per li-
oerum arbitrium, & omnia iſta ſunt diſpoſita, & or-
linata ſecundùm ſtatum, in quo omnes homines
ſunt, & unus homo eſt de alio, ſicut planta de
planta, & leo de leone; & ſic curſus motûs natu-
ralis uſque ad quintam eſſentiam, & quatuor ſubſ-
tantias mundi inferiores per univerſum, habet ſub-
jectum formale, & hęc ratione finis, ſunt propter
hominem; hæc autem non eſſent, ſi omnes homi-
nes, qui fuerunt, ſunt, & erunt, eſſent creati in uno
nunc, quia tunc natura eſſet vacua, quia non eſſet
generatio hominum, nec etiam cibus & potus eſ-
ſent neceſſarii, neque Artes liberales, nec mecha-
nicæ, neque virtutes acquiri poſſent, neque ho-
mines eſſent diſpoſiti ad aliam vitam: etiam u-
niverſum non eſſet exemplar hominibus ad cog-
noſcendum DEUM, & actus ſuarum dignitatum;
unde ſequeretur quod DEVS eſſet imperfectus in
producendo effectum imperfectum carentem for-
mâ, & fine, quód eſt impoſsibile.

QUÆSTIO VIII.

VTrum omnes homines poſſent ſalvari, itaut
nullus damnaretur, dato quod omnes eſſent
Chriſtiani? Et quare Sarraceni damnantur, ſi cre-

dant

dant se DEUM credere? Et quare DEUS tot permittit infideles? Numquid non esset melius, quòd omnes essent Christiani?

1. *Solutio.* Considerando *Medium*, & suam definitionem, respondeo sic: Supposito, quòd omnes homines essent Christiani, & tenerent *Principium, Medium, & finem*, quare sunt, possent salvari; sed illi, qui deviati sunt à medio, salvari non possunt, cum *Finis* sine *Medio* haberi non possit. Sarraceni autem salvari non possunt, cum sint deviati per peccatum originale; & quòd sit peccatum originale, probavimus in libro *Articulorum Fidei*.

2. Et quando dicitur, quòd meliùs fuisset non esse tot infideles, & quòd melius esset quòd omnes fuissent Christiani, concedo; sed DEVS permittit tot esse infideles, ut fideles habeant subjectum, sive materiam ad convertendum infideles, sustinendo amore DEI magnos labores, adversitates, & mortem ad augmentandum Christianitatem, convertendo infideles; quoniam propter hoc Christiani possunt magis se ipsos exaltare, & talem á DEO gratiam recipere: & hoc fecerunt Christus, & Apostoli, & alii Martyres, & dederunt exemplum ita Sanctum, ita altum, quale DEUS expectat ab illis, quibus Ecclesiam commendavit. Vnde propter hoc dixit Chistus B. Petro. *Petre si diligis me, pasce oves meas.* Etiam dixit. *Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me:*

Vnde

Vnde videtur, quòd DEVS vellet, quod infideles fierent Christiani; & si non fiant, caveant sibi illi, per quos possent esse Christiani, & non curant, quia legitur in Evangelio. *Vè illi homini, per quem scandalum venit.*

QVÆSTIO IX.

QVare peccaverunt Angeli? Et an necessarium fuerit eos peccare? Et an necessarium fuerit Adam peccare? Quòd si sic, quare damnantur peccatores?

1. *Solutio.* Quando Quæstio quærit de *Quare*, recurrendum est ad Regulam *E.*, dicendo sic: Angelus quoad formam est creatura, & ratione naturæ formæ, Angeli non peccaverunt; quia si peccavissent ratione naturæ formæ, peccavissent naturalitèr, & DEVS esset principium peccati eorum, cum creaverit ipsos, & naturam, & formam, quam habent eis dederit, quòd est impossibile; sed peccaverunt ratione deviationis à fine, ad quem creati sunt, & non peccaverunt necessarió, ut in quarta quæstione significatum est, sed per liberum arbitrium peccaverunt; & per superbiam, & per ignorantiam gratiæ datæ à DEO, & quia non disposuerunt se ad accipiendum gratiam (*a*) à DEO: & sic de primis parentibus, sicut de

 Dæmo-

(*a*) *Gratiam ulteriorem.*

Dæmonibus, & adhuc plus, quoniam non fuerunt obedientes DEO: unde cum hoc ita sit, quid mirum si peccatores damnantur!

QUÆSTIO X.

VTrum sufficiat justitiæ DEI Infideles esse damnatos ad exercendum suum actum? Vel tantum in Dæmonibus? Vel in istis, & in illis simul; ita quòd Christiani sint salvati omnes?

1. *Solutio.* Responsio significata est in solutione octavæ Quæst. fol. 13.

QVÆSTIO XI.

QVare DEVS non fecit [quòd melius esset] quòd omnes Infideles essent Christiani?

1. *Solutio.* Responsio significata est in solutione octavæ, & nonæ Quæst. fol. 15.

QVÆSTIO XIJ.

VTrum Christianus teneatur obedire mandatis Papæ contra conscientiam suam?

1. *Solutio.* In Triangulo viridi distinguitur inter sensuale, & sensuale; sensuale, & intellectuale; intellectuale, & intellectuale: unde dico, quòd si Papa sit hæreticus, & mandat non credere Articu-

los Fidei, nec Sacramēta Ecclesiæ, Christianus nō tenetur obedire ei; sed si Papa est Catholicus, & ignorantèr, sivè malitiosè præcipit aliquid quòd aliunde est contra justitiam in aliquibus, quæ non pertineant Articulis, nec Sacramentis; tunc tenetur Christianus obedire Papæ sensualitèr; ita quòd non intret in Ecclesiam, & sic de aliis, quæ pertinent ad Excomunicationem; sed in mente sua, non teneat se pro excomunicato, quia non est excomunicatus spiritualitèr; si verò non est sibi clarum hoc, de quo habet conscientiam, tenetur omnimodo obedire spiritualitèr, & sensualitèr.

QVÆSTIO XIII.

CUm Dæmon sit malus, Vtrum possit dici bonitas Dæmonis est ens, ratione cujus bonus Dæmon agit bonum?

1. *Solutio.* Recurrendum est ad quartam Regulam, [*Quare*] & distinguendum inter primam speciem, & secundam; unde quantum ad primam speciem, formaliter Dæmon est ens bonum, cum sit creatura producta per Divinam bonitatem: & sic ratione naturæ, sua bonitas est ens ratione cujus Angelus debet facere bonum moralitèr, ut significatum est per nonam Regulam, K. [*Quomodo in 4. specie*] in qua dicitur, quòd substantia transmittit extrà se, suam similitudinem; sed ratione

fi-

finis, cum Dæmon sit Angelus perversus, & sic à DEO confirmatus in malitia, quæ est oppositum bonitatis, sua bonitas naturalis ligata est in tantúm, quód non potest esse ratio, quòd agat bonum, cum subjectum non sit bonum moralitèr, sed opposito modo: Concluditur ergo, quòd non potest dici: Bonitas Dæmonis est ens &c.

2. Et quando dicitis, quòd debuissem ponere in Arte doctrinam, & modum ad distinguendum tales Solutiones, Respondeo, & dico, quòd jam feci, ratione mixtionis Principiorum, & Regularum, ut apparet in tertia Figura, & quarta, distinguendo, concordando, & contrariando inter bonitatem, & bonitatem, magnitudinem, & magnitudinem, bonitatem, & magnitudinem, & sic de aliis: ita quòd ea, quæ sunt implicita, sunt implicita in eis, quæ explicitè posita sunt in Arte, solvendo quæstiones, quæ explicitè sunt positæ in eadem Arte.

QVÆSTIO XIV.

VTrum fuisset meliùs aliquem damnatum nunquam fuisse, quàm esse damnatum?

1. *Solutio.* Recurrendum est ad Regulam *E.* [*Quare*] dicendo, quòd ratione formæ [*seu formalitèr*], damnato meliùs est esse, quàm non esse, cum non esse, non dicat aliquid; & forma, per quam Dæmon est esse suum, est aliquid, quod est aliquid

essen-

essentiale, & distans à non esse; & ideò naturalitèr appetit esse, & odit non esse; sed *finalitèr*, damnatus appetit non esse ratione privationis sui finis, à quo deviatus est: ac etiam ratione pœnæ, quam habet, quæ sunt contrà esse, & subjectum disponunt ad non esse: & sic damnatus ratione finîs appetit non esse, sciens quòd nunquam attinget finem, ad quem creatus est; immò se ipsum totum cognoscit evacuatum ab illo fine: & ideò damnatus existit in inestimabili pœna, & dolore, appetens per unum modum esse, quantum potest; & per alium modum, non esse.

QUÆSTIO XV.

VTrum peccatum sit aliquod ens reale? Et si sit, utrum sit ex bonitate, magnitudine, &c? Et si non: Quare ex nihilo sequitur aliquid?

1. *Solutio.* Responsio hujus quæstionis declarata est in quarta quæstione. fol. 8. Et licet peccatum sit nihil in se, est tamen aliquid in supposito, sivè per suppositum; quia si non, non esset deviatum subjectum â suo fine, quia non haberet cum quo: unde cum peccatum sit aliquid in subjecto, scilicet in homine, oportet, quòd inde sequatur aliquid, scilicet malum pœnæ, quòd est consequēs malū culpæ, alioquin esset antecedens sinè consequēti, quòd est impossibile, cum sint correlativa.

QUÆSTIO XVI.

VTrum ignorantia excuſet peccatum?

1. *Solutio.* Ad ſolvendum iſtam quæſtionem, recurrendum eſt ad definitionem contrarietatis, & ad tertiam ſpeciem tertiæ Regulæ [ſcilicet *de Quo*]; ità quòd ſi Anima hominis eſt occupata ſub aliquo bono fine conſiderato, & deſiderato; & ratione occupationis ignorat peccatum, ſuppoſito quòd non ſit contra Articulos Fidei, neque Sacramenta Eccleſiæ, (*a*) excuſata eſt á peccato mortali; ſed ſi peccator appetat agere aliquod malum, quòd licèt in ſe non ſit malum, ſeu peccatum; eſt ipſum malum peccatum in ipſo, qui appetit, & talis peccator nõ eſt excuſatus á peccato per ignorãtiã.

QVÆSTIO XVII.

VTrum conſcientia mea judicans aliquid eſſe peccatum, quòd realiter non eſt peccatum, faciat illud eſſe peccatum?

1. *Solutio.* Ad ſolvendum iſtam quæſtionem, oportet conſiderare definitiones bonitatis, ſapientiæ, & voluntatis, ſecundùm tertiam Regulam [*de Quo*] & quartam [*Quare*] unde dico, quòd peccatum non eſt peccatum in ſe, quãdo conſcientia judicat per ignorantiam, quòd ſit peccatum hoc, quòd

(*a*) *Et ita non ſit contra aliquid, de quo non habeat ignorantiam ulteriorem.*

quód non est peccatum; sed similitudo alicujus objecti considerati per conscientiam sub ratione peccati est transformata, si per voluntatem est electa, & desiderata per consensum intellectûs, & voluntatis, & privata ratione bonitatis, quæ non est ratio bono, quòd agat bonum, in illa electione; sed malitia, quæ est perversa similitudo bonitatis, est ratio malo, quòd agat malum: concluditur ergo, quód conscientia inserta [conjuncta] cum appetitu voluntatis, & cũ electione ejus, facit peccatum hoc, quòd non est peccatum: & de ista materia magis largè tractatum est in Tractatu, quem fecimus *de Conscientia*.

QUÆSTIO XVIII.

VTrum DEVS diligat peccatorem puniendo ipsum?

1. *Solutio*. Ad solvendum istam quæstionem oportet considerare secundam Regulam (*Quid*] & quartam [*Quare*] dicendo sic: diligere DEI semper est bonum in bonitate, & magnum in magnitudine, æternum in æternitate; peccator autem est malus per peccatum, cum sit deviatus à suo fine, & sua bonitas ligata est, & perversa, ut dixi in duodecima Quæstione: unde Divina Voluntas non potest per ipsum [peccatum] diligere peccatorẽ, quem punit in inferno; sed benè potest cum diligere

gere in hac vita, & in Purgatorio, reſpectu finis Beatitudinis æviternæ.

QUÆSTIO XIX.

SI Papa me excomunicet ſine ratione: Utrum ſim realitèr excomunicatus, & damnatus?

1. *Solutio.* Vade ad quæſtionem duodecimam fol. 16. in qua Solutio hujus quæſt. aſsignatur.

QUÆSTIO XX.

UTrum ſi ſim excomunicatus, me neſciente, ſim damnatus?

1. *Solutio.* Quæſtio eſt ſolvenda etiam per quæſt. duodecimam ſuprá allatam fol. 16.

QUÆSTIO XXI.

UTrum ſi Sacerdos me abſolvat à peccato cum pœnitentia, quàm mihi injungit, & ego ſim in bona voluntate ſatisfaciendi, & poſt aliud tempus amittam ipſam voluntatem, & non faciam illam pœnitentiam, Utrum ſim [*a*] abſolutus?

1. *Solutio.* Conſidera definitionem medii, durationis, & quartā Regulā [*Quare*] Et tunc appare-

(*a*) *Quoad pœnam ſcilicet temporalem, non quoad culpam, ut patet ex contextu.*

parebit ſolutio quæſtionis: ita quòd fracto medio, frãgitur duratio formæ & finis; & principium non poſſet ſe habere ad finem per lineam continuam; ſed deſtrueretur influentia, & refluentia abſolutionis: unde ſequitur quòd negativa (*b*) quæſtionis eſt tenenda.

QUÆSTIO XXII.

VTrum per levem pœnitentiam, quam Sacerdos mihi injungit, ſi eam faciam, ſim liberatus à pœna & culpa.

1. *Solutio*. In iſta quæſtione oportet conſiderare, quid eſt pœnitentia per ſecundam Regulam [*Quid*] & conſiderare definitionem æqualitatis, & diſtinguere inter ſenſuale, & intellectuale: ita quòd, ſi culpa eſt magna in Anima, & pœnitentia eſt (*a*) levis in corpore &c., ratione improportionis, peccator non eſt liberatus á culpa, nec per cõſequẽs á pœna; ſed ſi culpa eſt parva in Anima, & ei æquipollet pœnitentia corporis, liberatus eſt peccator à pœna, & culpa. Item ſi culpa eſt magna in Anima, & pœnitentia eſt levis in corpore, ſed contritio, & dolor, & culpa æquipollent in Anima, ratione virtutis Sacramenti, liberatus eſt peccator à pœna, & culpa.

(*b*) *Quod ſcilicet non manet abſolutus, quoad pœnam temporalem.*

(*a*) *Levis quidem nedum quoad opus injunctum à Sacerdote, ſed etiam quoad animum, & voluntatem ſatisfaciendi, & conſequenter quoad dolorem.*

QVÆSTIO XXIII.

QVare antiqui Patres tamdiu vixerunt, & nunquam attigerunt mille annos? Et quare à tempore Aristotelis, David, & Hyppocratis, terminus vitæ hominum est septuaginta annorum; & si octoginta, amplius labor, dolor, & mors? Et si ita diu vixerunt antiqui; utrum fuerint illi anni solares, vel anni Lunæ, scilicet menses?

1. *Solutio.* Ad istam quæstionem oportet considerare litteras *E. F. G.* [hoc est *Principium*, *Medium*, & *Finem*] dicendo sic: In principio mundi tempus fuit novum, & in medio non novum respectu principii: unde ratione subjecti temporis, scilicet substantiæ in qua tẽpus sustentatum est, & per consequens ratione motûs sequentis tẽpus, natura generationis, & corruptionis ita usitata non fuit, nec exercitata ad generandum, & corrumpendum in principio mundi, sicut fuit in medio: unde propter hoc vita hominis erat longa in principio; & Elementa plus habebant de pinguedine, & dispositione ad recipiendum influentiam corporum superiorum: & hoc apparet in terra nova, quæ plus dat tritici in principio, quàm quando est antiqua.

2. Adhuc potest homo considerare per Regulam *E.* [*Quare*], vel per definitionem principii, quòd in principio mundi vivebant díu homines ad

multipli-

multiplicandam humanam ſpec iem, & ut eſſet magnus populus in mundo.

3. Et quando quæritur, ſi erant anni ſolares, aut Lunæ? Reſpondendum eſt, quòd ſecundùm quòd legitur in S. Scriptura, non invenitur, quòd aliquis homo vixiſſet à principio mundi ultra mille annos, & conſequenter, ſi eſſent illi anni per curſum Lunæ, plus vixiſſent homines in medio, quàm in principio; quoniam aliqui ſunt nunc, qui habent pluſquam centum, & viginti annos per curſum Solis, qui ſiquidem anni Solis ſunt pluſquam mille anni Lunæ: unde videtur omnibus conſideratis, quòd antiqui Patres habuerunt annos ſolares.

QUÆSTIO XXIU.

VTrum influentia cœleſtis in nobis poſsit à nobis impediri, dato quòd futurum poſsit conjecturaliter ſciri per Aſtronomiam, ſecundùm quòd dicunt ſapientes Aſtronomi.

1. Solutionem hujus Quæſtionis, habetis in libris, quos feci *de Aſtronomia, & de Tabula levitatis, & ponderoſitatis.*

QUÆSTIO XXU.

VTrum aurum ſit corruptibile? Quia Alchimiſtæ dicunt quòd non.

Solu-

1. *Solutio*. Ad quæſtionem iſtam oportet conſiderare ſecundam Regulam *C*. [*Quid*] & tertiam *D*. [*de Quo*] & definitionem Medii. Quoniam corruptio auri non eſt in potentia viſiva Alchimiſtarum, cum ſua corruptio non videatur ab ipſis: & ſic dicunt, quòd aurum non eſt corruptibile; ſua autem corruptio eſt in imaginatione, & intellectu Naturalium, cum aurum ſit per ſecundam ſpeciem *D*. de contrariis elementis, & per influentiam, & refluentiam Principii, & Finis Elementorum, & corporum ſuprà cœleſtium, quorum influentia & refluentia & motus eſſent perditi, & natura evacuata, ſi aurum non eſſet corruptibile; quòd eſt impoſsibile.

QUÆSTIO XXVI.

DIxit Avicenna, quòd calor naturalis noſtri corporis non ceſſat depaſcere ſuum humidum radicale, donec veniat unicuique mors, quæ deſtinata eſt ſibi per naturam. Et quæro utrum verum ſit hoc dictum.

1. Affirmatio hujus quæſtionis eſt tenenda, ut ſignificatur per mixtionem Principiorum ſecundæ Figuræ; [hoc eſt *Differentiæ Concordantiæ* &c.] & definitionem Durationis; quoniam calor naturalis ſe immittit humido radicali aſcendendo, uſque ad medium menſurationis, ſcilicet ad majo-

rẽ concordantiam durationis caliditatis, & humiditatis, frigiditatis, & ſiccitatis; ſed quando tranſit ultra medium menſurationis, quæ eſt medietas vitæ hominis, & calor naturalis ſe appropinquat ad finem privationis, tunc majoritas concordantiæ, quam diximus, incipit infirmari, & diminui gradatim, & per motum continuè uſque ad minoritatem vitæ, & majoritas pervertit ſe in majorem contrarietatem caliditatis, & frigiditatis, humiditatis, & ſiccitatis: & ideò quando majoritas vitæ aſcendit, minoritas mortis deſcendit, & è contrario: & ſic motus permanens in ſubjecto eſt à principio per medium, uſque ad finem, quòd non eſſet, ſi negatio quæſtionis eſſet tenenda.

QUÆSTIO XXVII.

VTrum vita hominis poſsit prolongari per naturam, & artem?

1. *Solutio.* Affirmatio hujus quæſtionis eſt tenenda, ut ſignificatum eſt per Regulas *D. G.* [*De Quo. Quale.*] iſto modo. Humidum radicale in homine vivit per humidum nutrimentale proprium, quoniam ſine materia quæ venit per humidum nutrimentale, Radicale non haberet ex quo viveret: & de hoc habemus experientiam per cibum, & potum, & per oleum in lampade quo flamma vivit; ſed per appropriatũ quoque Medicus poteſt adjuvare

vare

vare naturam diſponendo illud humidum nutrimentale, quod naturæ magis competit, & de hoc habemus experientiam per medicinam; Quoniam qui daret vinum forte patienti Tertianam, feſtinaret mortem; unde concluditur de quæſtione in oppoſito; Excludo tamen Voluntatem Divinam, ut ſuprá dictum eſt.

QUÆSTIO XXVIII.

VTrum Ars tantum deficiat ab operatione Naturæ, quantum Natura deficit à Natura Divina? *Hic etiam dicatur*: Utrum Ars poſsit meliorare operationes Naturæ, vel facere aliquid meliùs quàm Natura?

1. *Solutio*. Secundum definitionem Majoritatis, plùs deficit natura creata à Natura Divina, quàm Ars á Natura, cum inter infinitum, & finitum nulla ſit proportio; ſed inter finitum, & finitum ſic.

2. Item reſpondeo per Regulam *G*. (*Quale*), quòd Ars propriè non poteſt meliorare operationem naturæ, neque facere aliquid naturalitèr meliùs quám natura, quòd ſi faceret, jam non eſſet Ars, quòd eſt contradictio; Veruntamen per appropriatum poteſt Ars accidentaliter diſponere materiam, cum qua natura ſe adjuvare poſsit naturalitèr in nutriendo humidum radicale per humidum

midum nutrimentale, ut ſuprà ſignificatum eſt quæſtione antecedenti.

QVÆSTIO XXIX.

NOs dicimus quòd Rheubabarum attrahit choleram à tota ſpecie: Quæritur, Quid eſt tota illa ſpecies?

1. *Solutio.* Ad ſolvendum iſtam quæſtionem conſidero nonam Regulam (*Quomodo*) quando dicitur, quomodò pars eſt pars, & pars eſt in parte, & totum eſt in partibus ſuis, & partes in ipſo; & quomodò ſubſtantia extrá tranſmittit ſuam ſimilitudinem: unde ſequitur, quòd Rheubarbarum attrahit choleram á tota ſpecie, hoc eſt à toto corpore hominis, cum attrahat choleram á qualibet parte corporis; alioquin in corpore hominis non eſſet pars in parte per lineam continuam, quòd eſt impoſsibile: ergo &c.

QVÆSTIO XXX.

VTrum poſt ceſſationem generationis, & corruptionis ſtatim fiet Judicium DEI, & ceſſatio Purgatorii?

1. *Solutio.* Ad ſolvendum iſtam quæſtionem, quæ eſt de tempore, oporter conſiderare quid eſt tempus ſecundum Regulas *C. D. K.* (*Quid, de Quo,*

Quomodo

Quomodo, & Cum quo) dicendo ſic quòd corpus non oportet eſſe in motu, quando Principium elementorum, & corporum cœleſtium quieſcunt in ultimo fine: ita quòd medium extremitatum entium moventium eſt conſumatum quoad finem generationis, & corruptionis: unde ſequitur, quod ceſſante motu, ſtatim fiet Generale Judicium, & ceſſabit Purgatorium, ut Judicium ſit Generale.

2. Et ſi objicitur: Quid erit, ſi circa finem mundi moritur aliquis, & eſt magnus peccator, qui tamen in puncto mortis eſt contritus, & per miſericordiam DEI ſalvatus, ſed indiget eſſe in Purgatorio, ut ipſe puniatur de commiſsis? Reſpondendum eſt, quòd DEUS in uno die poteſt dare illi intenſivè ita magnam pœnam, ſicut in mille diebus daret extenſivè.

QVÆSTIO XXXI.

VTrum quando Chriſtianus juſtus moritur ſit ſtatim in Paradiſo: Et utrum ille redibit ad judicium ut judicetur? Et ſic de damnato? Quód ſi ſic, Quare nunc oportet eſſe judicium? Et utrũ ille dies ſit dies naturalis? *Vel Quid*?

1. *Solutio.* Ad iſtam quæſtionem oportet conſiderare de Tempore per Regulas *C. D. K.* (*Quid, de quo, Quomodo, & Cum quo*) dicendo, quòd judicium hominis in hac vita eſt alio modo ab illo,

quòd erit in ultimo die. Quoniam in hac vita, quando homo moritur, judicium cadit ſuper Animam ſimpliciter, & in ultimo die cadet ſuper hominem, qui eſt ex Anima, & corpore reſuſcitatus: & ideò concluditur, quòd homo, qui agit in hac vita bonum, & malum, ſit tunc reſuſcitatus, & maximè, ut Chriſtus, propter quem omnia ſunt creata, ſit generalis Judex, & quòd ab omnibus hominibus videatur, & audiatur. Et quando quæritur, Vtrum dies ille ſit naturalis; Reſpondeo, quòd erit dies æviternus.

QVÆSTIO XXXII.

VTrum Judicium erit ſuper terram.

1. *Solutio.* Vbi ſit virtus, & vitium, competit eſſe Judicium, ſecundùm definitionem *Medii*: Quare ſuperficies terræ locus erit, & medium inter illos, de quibus erit Judicium; Medium ſcilicet inter aſcenſum Beatorum ad cœlos, & deſcenſum maledictorum ad inferos.

QVÆSTIO XXXIII.

VTrum Elementum ſimplex intenſum, à ſua creatione prima ſit corpus occupans locum?

1. *Solutio.* Ad iſtam quæſtionem oportet conſiderare nonam Regulam [*Quomodo*] & definitio-

nem *Principii*: ſicut quando dicitur, quòd una pars eſt in alia, & totum in partibus ſuis; & è converſo; & ideò quia elementa ſimplicia ſunt principia prima elementorum, per ſecundam ſpeciem Regulæ *D*. [*de Quo*], ut dictum eſt, nullum elementum ſimplex eſt per ſe corpus ſolidum exiſtens in loco ſine alio, licèt ſit de natura corporea. Quoniam ſi per ſe eſſet corpus occupans locum concavum, quòd eſt ſub Luna, totum chaos non haberet lineam cōtinuam, nec quantitatem continuam, ſed eſſet de quantitatibus diſcretis; & ignis ſuperior non eſſet unus continuus uſque ad ignem inferiorem: & ſic de aëre, & aqua: unde ſequeretur, quòd eſſent duæ caliditates, duæ humiditates, duæ frigiditates, duæ ſiccitates, duæ ponderoſitates, duæ levitates, duæ albedines, & ſic de conſimilibus, quód eſt impoſsibile, cum una caliditas ſufficiat in genere, & alia eſſet ſuperflua, & ſubjectum ſuum otioſum: & ſic de duabus humiditatibus, & de conſimilibus. Et ſphęra aëris, & aquæ, quia eſſent corpora ſolida, impedirent ignem ſuperiorem ad deſcendendum, & inferiorem ad aſcendendum, in tantum quòd participare non poſſent; & multa alia inconvenientia ſequerentur, quæ longa eſſent ad narrandum.

2. Concludo ergo, quòd ignis ſimplex, & ſic de aliis elementis ſimplicibus non eſt corpus ſolidum, cum totum chaos ſit de partibus mixtis, &

una pars ſit in alia: ſicut in denario aurũ eſt in argento, & è converſo, & in vino limphato, aqua in vino, & è converſo: Et de iſta materia ſufficienter ſumus locuti in Arbore Elementali, quæ eſt in *Arbore Scientiæ*.

QUÆSTIO XXXIV.

SI pecco mortalitèr, & illud peccatum obliviſcor, nec recordari poſſum, & ſic moriar non confeſſus, nec pœnitens de illo, utrum ſim damnatus?

1. Solutio hujus quæſtionis ſignificata eſt per Regulam ſextam [*Quale*], & per quæſtionem 16. & 17. fol. 20. Et dico, quòd ſecundum quod contritio eſt vicina majoritatis, bonitatis, virtutis, aut minoritatis, Solutio hujus quæſtionis tenenda eſt.

QUÆSTIO XXXV.

VTrum humidum ſpermaticum viri cadat in ſubſtantiam fœtus? Et utrum illud humidum ſpermaticum, & ſenſibile ſit humidum radicale? Et utrum in momento ſit maſculus, aut fœmina figuralitèr.

1. *Solutio*. Ad ſolvendum quæſtionem iſtam, oportet conſiderare ſecundam ſpeciem Regulæ C. [*Quid habet res in ſe*], & ſecundam ſpeciem Regulæ

gulæ D. [*De quo res est derivativè*], & nonam Regulam [*Quomodo*], & definitionem Triãguli Rubei (*Principii* , *Medii* , *& Finis*) Dicendo sic ; quòd humidum spermaticum viri positum in matrice mulieris per modum conjunctionis cum humido, quód invenit, sit forma humidi radicalis ; & veniens in suo proprio humido nutrimentali, convertit humidum nutrimentale, quòd invenit, generãdo per generantem naturalem , & cum adjutorio corporum cœlestium : ita quod sperma corrumpitur , & de ipso est fœtus genitus , in quo motus transmittentis quiescit in movendo , & lineando, augmentando , & nutriendo per vegetativum : ita quòd est medium, sivè terminus, ad quem influentia & refluentia Principii,& Finis tendit;& ideò humidum radicale genitum , & spermaticum cadit in substantiam fœtus, & vivit per humidum nutrimentale, ut dictum est ; Et illud humidum radicale est insensibile , & invisibile secundum formam, & depuratur in matrice mulieris, sicut aurum in fornace; sed sua figura est visibilis, & per tactum ratione dulcedinis est sensibilis , & in momento recipit masculinitatis (*a*) figuram, aut fœmininitatis, ut cum puncto quantitatis , & in instanti temporis sit genitum.

QUÆS-

(*a*) *Imperfectam tamen, & non omnino delineatam ita tamen ut sufficiens sit ad distinctionem masculi, & fœminæ.*

QUÆSTIO XXXVI.

VTrum in generatione ſit neceſſarium mulierem ſpermatizare?

1. *Solutio*. Ad ſolvendum iſtam Quæſtionem oportet conſiderare Regulam K. [*Quomodo*, *&* *Cum quo*] cum definitione Trianguli Rubei hoc eſt *Principii*, *Medii*, *&* *Finis*, & tunc declarabitur cum Regula G. [*Quale*] quód proprium eſt viro generare ratione formæ, & mulieri appropriatum ratione materiæ: unde ſequitur quòd materia influat, ut forma veniens à viro habeat de quo vivat, ut fiat conjunctio & menſuratio, & ut medium extremitatum ſit continuum & plenum, & ut mulier generando tranſmittat ſuam ſimilitudinem, ut humiditas appetat multiplicationem, & conſervationem humanæ ſpeciei: & ideò concluditur, quòd affirmativa hujus quæſtionis eſt tenenda.

QUÆSTIO XXXVII.

VTrum radii, ſive lumen Solis, ſint corpora?

1. *Solutio*. De iſta materia ſatis ſufficienter ſumus locuti in *Arbore Elementali*, & in *Arbore Cæleſtiali*, quæ ſunt in *Arbore Scientiæ*, in qua apparet, quòd negatio, quæſtionis eſt tenēda. Et quando dicitur, quòd niſi radii Solis eſſent corpora, non poſſent calefacere aërem per motum, cum motus

tus non pofsit effe fine corpore, Refpondeo per nonam Regulam, quòd Sol extrà tranfmittit fuā fimilitudinem, ficut apparet per fimilitudinem imaginationis, cum qua imaginatio movet fenfitivam ad concupifcentiam carnis, & fic de flamma ignis, qui calefacit aërem per caliditatem.

QUÆSTIO .XXXVIII.

QUæritur per quem modum Sol calefacit aërem?

1. *Solutio*. Ad folvendum iftam Quæftionem, oportet confiderare iftam Regulam (*Quomodo*), dicendo fic: Lux Solis eft fuus color, & participando cum Venere dat ei fuam fimilitudinem, & Venus dat Mercurio, & Mercurius Lunæ, & Luna igni; & quia ignis, & Sol cordordant per colorem, fcilicet per luciditatem, Sol juvat ignem contra aquam, exiftentibus igne & aqua in aëre, ut fuprá dictum eft per Medium chaos: & ideò quantò magis aqua eft remiffa in aëre, tantò minùs poteft refiftere igni, & recipere beneficium ab aëre: & aër, cum non pofsit tranfmittere perfectè fuam fimilitudinem in aquam, afligitur magis per calidum, & ficcum; & ideò per talem modum Sol calefacit aërem tranfmittendo in ipfum fimilitudinem fuam.

QUÆSTIO XXXIX.

VTrum umbra, ſive tenebræ ſint corpora?

1. *Solutio.* De iſta materia locuti ſumus in *Arbore Elementali*, ubi diximus, quòd umbra eſt color terræ, & umbra eſt recepta in diaphanitate aëris in qua cauſat tenebras, cum aër per ſuam diaphanitatem ſic recipiat omnes colores, ſicut aqua per ſuam albedinem, aut cryſtallum per ſuam diaphanitatem: & ideò aër plenus vaporibus coloratis per colorem terræ, quæ eſt nigredo, eſt tenebroſus in abſentia Solis, & ſic eſt nox; ſed in præſentia Solis deſtruitur nox, quia aër recipit luciditatem á Sole; & hoc idem eſt de flamma ignis in camera in qua erant tenebræ, antequam fuiſſet in ipſa candela accenſa: hoc idem apparet in umbra parietis, aut arboris.

QUÆSTIO XL.

VTrum Sol generet calorem in Orbe, ſivè in ſphera ſua?

1. *Solutio.* Ad iſtam Quæſtionem oportet conſiderare Regulas *D. K.* (*De quo, Quomodo, & Cũ quo*) dicendo ſic: Si Sol generaret caliditatẽ in ſuo Orbe, ſive in ſphera ſua, caliditas eſſet in ea ſimilitudo ſua, & cum ipſa corrumperet aliquid, & eſſet generatio de aliquo, & ſic in ſphera Solis,

vel

vel in Orbe ipſius eſſet generatio, & corruptio, augmentatio, nutrimentũ, & alteratio, quòd eſt impoſſibile ut apparet ad ſenſum, in quãtum ſtellæ, quas cognoſcimus, ſunt permanentes, & in cœlo nullam novitatem attingimus, niſi in cometis tantũ, & cometa eſt nimia influentia ab illa ſtella à quâ eſt, & eſt conglobata per nimiam intenſitatem, & ſic ſe movet ad ſuam ſtellam, ſicut ferrum ad adamantem, ponente ſtella ſuam ſimilitudinem in ipſo corpore conglobato.

QVÆSTIO XLI.

QUæritur, quæ fuit neceſsitas creandi cœlũ ſine contrarietate?

1. *Solutio.* In quarta Quæſtione diximus quòd DEUS creavit ſimilitudines, & diſsimilitudines, ut per ipſas poſsit multùm recoli, intelligi, & amari: A ſimili dico, quòd creavit DEUS cœlum incorruptibile, & ſine contrarietate, ad ſignificandum, quòd ipſe DEUS eſt incorruptibilis, & ſine contrarietate; & creavit in inferioribus contrarietatem, & corruptionem, ut per diſsimile eſſet magìs recolitus, & intellectus: Item creavit cœlum incorruptibile, & ſine contrarietate, ut gubernaret inferiora, quæ corruptibilia ſunt; quoniam ſi cœlum eſſet corruptibile, & de rebus contrariis, eſſet impeditum ad gubernandum.

QUÆSTIO XLIJ.

QVæ fuit necessitas creandi Angelum sine contrarietate?

1. *Solutio*. Hujùs quæstionis constat in solutione præcedentis, hoc est, ut DEUS per simile sit magis recolitus.

QUÆSTIO XLIIJ.

CUm Angelus peccaverit, & cœlum causaverit in inferioribus monstruositates, Quæro: Vtrum Angelus, & cœlum sint ex contrariis.

1. *Solutio*. Ad solvendam istam quæstionem oportet considerare secundam Regulam, tertiam, & sextam (*Quid*, *De quo*, *Quale*) dicendo sic; quòd Angelus non est creatus ex contrariis, ut posit peccare liberè; quòd si esset creatus de contrariis, esset DEVS causa peccandi, quòd est impossibile; sed peccavit Angelus, licèt non sit ex contrariis, ut in quarta quæstione significatū est f. 7. n. 4. & 5.

2. Item non oportet, quòd cœlum sit creatum ex contrariis; Et quando dicitur, quòd influit in inferioribus monstruositates, dico quòd secundum Regulam *G*. [*Quale*] cœlum in se dispositum est, ad influendum in inferioribus suas perfectiones, & hoc propriè; sed per appropriatum, inferiora, quæ ex contrarietatibus consistunt, alterant

perfectiones, quæ à superioribus veniunt in imperfectiones, & monstruositates: sicut malum vas, quòd vinum bonum in se, corrumpit, & pervertit.

QVÆSTIO XLIV.

QUæ fuit necessitas sic creandi mundum?

1. *Solutio*. Ad solvendum istam quæstionem oportet considerare secundam Regulam, (*Quid*) & quartam (*Quare*) & etiam omnes Regulas, & omnia Principia Artis Generalis, & respondere ad quæstionem per modum Artis, miscendo Principium cum Principio, Regulam cum Regula, & Principium cum Regula, & implicita reducere ad explicita, & hoc est, quia Quæstio est multum generalis; sed nos breviter significabimus & declarabimus veritatem Quæstionis, dicendo sic.

2. Per secundam Regulam [*Quid*] DEVS est in se unus, & quia est unus, creavit unum mundum, & non plures, ad significandum quòd ipse est unus solus DEVS, & non plures DIJ; & quia est infinitus creavit cœlum rotundum, cum circulus in figura sit infinitus; & quia DEVS habet in se plures Personas Divinas, creavit in mundo plures res; & quia est æternus creavit cœlum incorruptibile; & quia est bonus, creavit bonitatem; & quia est magnus, creavit magnitudinem; & quia est æternus,

crea-

creavit æviternum, & ſic de aliis.

3. Item, quia ſua bonitas eſt una, & in diſtinctis perſonis Divinis exiſtit, creavit DEVS plures bonitates, & ſic de aliis; & quia ipſe DEVS eſt unus ex pluribus perſonis Divinis, voluit, quòd ex pluribus eſſet unum, ſicut unus homo, una arbor, quæ ex pluribus ſunt conſtituta, & ſic de aliis. Item diverſificavit bonitates, magnitudines &c. in generibus, ſpeciebus, & individuis, ut ſignificatum eſt in Angulo de Differẽtia: & quia in DEO eſt Concordantia, quæ conſiſtit in diſtinctione Divinarum Perſonarum, poſuit Concordantiam creatam in rebus diſtinctis, ut ſignificatum eſt in Triangulo viridi, [hoc eſt *Differentia, Concordantia, Contrarietas*]; & quia in Deo non eſt contrarietas, creavit contrarietatem, ut per ipſam eſſet cognitus; nam ſimile cum ſuo ſimili, & cum ſuo diſsimili magis cognoſci poteſt.

4. Item, cũ DEUS Pater ſit Principium DEI Filii, creavit Principia Generalia hujus mundi, quæ ſunt Bonitas, Magnitudo &c; Et creavit Principium generans, vel generativum, generabile, & generare; & quia DEVS Pater, & DEVS Filius ſe conjugunt per Spiritum Sanctum, creavit medium, per quòd Principium, & Finis ſe conjungi poſſunt; & quia DEVS eſt finis, creavit plures fines.

5. Item per quartam Regulam [*Quare*] cum DEUS Pater ſit bonus formaliter, magnus, æter-

nus &c. generat Filium formalitèr bonum, ut Pater sit bonus per bonum agere, & faciat se (*a*) bonum in producendo Filium; & ideò creavit DEVS formalitèr, & naturalitèr bonum hominem; & quia DEVS Pater se facit bonum, disponit in homine virtutes morales, per quas se posit facere bonum: & sic de Sole naturalitèr, qui formalitèr est bonus, & effectivè in faciendo bonum, facit se bonum; & sic de consimilibus istis.

6. Quia DEVS est multum intelligibilis, recolibilis, & amabilis creavit Angelos, & homines cum majoritate recolitivitatis, intellectivitatis, & amativitatis, ut DEVM recolerent, intelligerēt, & amarent liberè, quia DEVS est dignus, ut sit liberè recolitus, intellectus, & dilectus; alioquin sinè libero arbitrio non esset recolitus, intellectus, & dilectus cum Majoritate recolitivitatis, intellectivitatis, & amativitatis Angelorum, & hominum, sed cum Minoritate.

7. Item, cum in DEO Divinæ Personæ sint æquales, creavit in mundo res æquales in genere, sicut sunt Bonitas, Magnitudo &c.; Et creavit DEVS substantias, cum ipse sit substantia; & creavit accidentia, ut substantia creata ageret cū accidentibus, sicut Divina substantia, quæ agit cum substantialibus dignitatibus; & etiam creavit accidentia, ut per suum dissimile magis cognosci posset.

8. Item

(*a*) *Faciat quidem se bonum terminativè, non formalitèr, ut patet ex contextu.*

8. Itẽ DEVS creavit iſtã vitam, ut homo diſponeret ſe, ut perveniret ad Paradisũ, qui creatus eſt propter beatos; & creavit infernum, ut juſtitia DEI haberet actum exercendi illam: Creavit etiam infernum, ut per ipſum gloria Paradiſi magis cognoſci poſsit; Et etiam creavit in mundo Elementativam ad elementandũ, vegetativam ad vegetandum, ſenſitivam ad ſentiendum, imaginativam ad imaginandum: Creavit etiam Artes liberales, & artificiales hominibus, & cœlum ad gubernandum inferiora, & omnia corporalia creavit propter hominem, & hominem creavit DEUS propter ſe ipſum: Creavit quoque meritum, ut eſſet porta vitę alterius ſæculi ratione ęviternitatis.

9. Item, cum DEVS diligat cum magnitudine, bonitatis, &c. totum univerſum creatum, eò quod ſuus effectus eſt, voluit DEUS ſumere carnem, ut eſſet pars Vniverſi, & naturalitèr participaret cum omnibus creaturis; quoniam cauſa plus diligit ſuum effectum, ſi vult cauſare ipſum, & eſſe ipſum, & participare naturalitèr cum ipſo, quàm cauſare effectum, & non velle eſſe ipſum, nec participare naturalitèr cum ipſo, & ideò creavit DEVS omnia ad ipſum Chriſtum benedictum; & omnia creata ſunt ad ipſum proportionata, in quantum homo eſt; & in Chriſto, entia ſpiritualia, & corporalia quieſcunt reſpectu finis ultimi; excludo tamen damnatos.

Iterum

10. Iterum, Mundus eſt in ita perverſo ſtatu; quia Paſtores non benè cuſtodiunt oves ſuas, & quia quaſi omnes homines deviant ab illo fine, ad quem creati ſunt, & tendunt ad finem contrarium: unde propter hoc flent, & dolent Devotio, & Charitas mirantes quare habent ita paucos amicos: & de tali materia multa eſſent narranda, quæ explicare omittimus.

QUÆSTIO XLV.

CVm Mundus ſit unus, Quæritur: quid eſt forma & materia ejus, naturalitèr?

1. *Solutio*. Ad ſolvendum Quæſtionem iſtam, oportet conſiderare definitionem *Principii*, & diſcurrere per Principia Artis, & per Regulas; Sed nos breviter ad Quæſtionem reſpondemus ſic: DEUS, & Natura hoc, quòd poſſunt facere per unum, non requirunt facere per duo, quia eſſet ſuperfluum; & ideò creavit DEVS Principia Generalia corporalia, ſicut eſt Generalis Bonitas, Magnitudo, Duratio, Poteſtas, Inſtinctus, Appetitus, &c., Et per naturam in quolibet Principio poſuit concreta correlativa coëſſentialia propria, & ſubſtantialia, ſicut in Bonitate, bonificativum, bonificabile, & bonificare; & in Magnitudine, Magnificativum, bile, & are, & ſic de aliis, & hoc, ut in quolibet Principio eſſet natura per modum

actio-

actionis, & paſsionis, & per agere, ut ſubſtan-
tia conſtituta ex Principiis ſe haberet per modũ
eſſendi, & agendi: & ideò forma mundi eſt cons-
tituta ex omnibus *tivis*, & materia ex omnibus
bilibus Principiorum Generalium, & per ipſorum
are (unionem) naturale ſunt conjuncta, & reſul-
tat Mundus unus, & una Generalis ſubſtantia, unũ
Generale Corpus continens omnia Generalia, cor-
pora ſubſtantialia, & accidentalia, ex quibus eſt:
ſicut totum, quòd omnes ſuas partes continet in
ſe: & ſua Generalis bonitas, & ſic de aliis gene-
ralibus Principiis, diviſa eſt per quintam eſſentiam,
& per quatuor Elementa, & ſic de individuis ſpe-
cierũ. Unde ſequitur, quòd quando aliquod agens
introducit formam in materia, ſcindit ſecundari-
am materiam à prima in generando in generali-
bus, & corruptibilibus, ut ſignificatum eſt per Re-
gulam de K. [*Quomodo, & Cum quo*].

QVÆSTIO XLVI.

CUm dicitur ſecundum Artem, quod Bonitas bonificat Magnitudinem, Durationem, &c. Quæritur Utrum Majoritas majorificet Minoritatem, & Minoritas minorificet Majoritatem, & Æqualitas æqualificet Majoritatem, & Minoritatem?

1. *Solutio.* Ad ſolvendum iſtam Quæſtionem oportet conſiderare definitionem Principiorum, &

Regu-

Regulas, tali modo, quòd remaneant illęsæ, dicendo sic; Quod Majoritas majorificat Minoritatem per duos modos contrarios: sicut Majoritas caliditatis ignis, quæ majorificat Minoritatem humiditatis aëris in augmentando bonitatem, magnitudinem, &c: Et per modum Concordantiæ, substantia, quæ major est per se, quám suum accidens, ratione bonitatis, magnitudinis &c. majorificat suum accidens quantum potest, ut per ipsum meliùs possit agere, & existere. Secundus modus est, sicut Majoritas caliditatis, quæ in cholerico minorificat quantum potest frigiditatem aquæ, ut ipsam reducat in majori Minoritate bonitatis, magnitudinis &c., cum sit sua inimica.

2. Item Minoritas per modum Concordantię minorificat Majoritatem, quando Minoritas minús accedit ad terminos suos: sicut Minoritas humiditatis quæ repugnat nimiæ caliditati, repugnando siccitati ignis, ut sequatur justitia, & temperamentum; & Minoritas frigiditatis aquæ minorificat caliditatem ignis in composito resistendo, sicut inimicus suo inimico, ut apparet in ligno viridi, quòd comburitur; quoniam nisi esset frigiditas fortis, lignum viride esset ita citò combustũ, sicut si esset siccum, in quo etiam ligno sicco Majoritas frigiditatis impedit Majoritatem caliditatis, quoniam nisi ipsa esset in ligno sicco, esset lignum ità citò combustum, sicut stupa.

Item

3. Item quando dicitur, quòd Æqualitas æqualificat Majoritatem, & Minoritatem, concedo reſpectu proprietatis, non reſpectu ponderis; quoniam reſpectu ponderis, non poteſt fieri, quia ſi fieret, Majoritas, & Minoritas reducerentur in nihilum, & ſic eſſet deſtructus Triangulus Croceus, quoniam non eſſet in ipſo, niſi ſola æqualitas; & per deſtructionem illius Trianguli, deſtruerẽtur alii, & per conſequens curſus naturæ, quòd eſt impoſsibile.

QUÆSTIO XLVII.

CVm dicitur in Arte, quòd *B.* ſignificat primam Quæſtionem, & *C.* ſecundam, & ſic de aliis, Quæro: ubi ſunt illæ Quæſtiones in Arte.

1. *Solutio.* Suppoſitum eſt in Alphabeto Artis, quòd *B.* ſignificat primam Regulam, & primam Queſtionem, & *C.* ſecundam Regulam, & ſecundam Quæſtionem, & ſic de aliis: ita quòd accipio Regulam per Quæſtionem, & Quæſtionem per Regulam; ſed ratione ſpecierum Regularum, eſt ibi aliqua diſtinctio ſicut quærere quid eſt DEVS in ſe? Et quid habet DEVS in ſe &c. Et quærere utrum DEVS ſit? Et utrum habeat in ſe pluralitatem Divinarum Perſonarum? &c. Et ideò ubicumque quæritur in Arte per *Vtrum*, ibi eſt prima Quæſtio. Et ubi quæritur de *Quid*, ibi eſt ſecunda & ſic de aliis.

QUÆSTIO XLVIII.

DVm in Tabula Generali, prima Quæſtio Diſtinctionis quintæ ſolvitur per *B.* *C.* Quæro: quare non facit menſionem de differentia in ſolutione: Cum *B.* ſignificet Differentiam; & quare non facit menſionem de tribus ſpeciebus primæ Quæſtionis? Quæ ſunt tres potentiæ Animæ, & ſic de Concordantia, & de *Quid* ſignificatis per *C.*

1. *Solutio.* Artiſta promittit ſolvere Quæſtionem per primam partem ſignificatam per *B.* *C.* ut dictum eſt in Prologo quintæ Diſtinctionis citatæ, ſcilicet per Bonitatem, & Magnitudinem, cum promittat in principio ſolvere Quæſtionem per principia primæ Figuræ; poſtmodum per ſecundam, & ſucceſsivè per tertiam, & quartam, & per Regulas: unde ſi in prima Quæſtione eſſet locutus de Differētia, & Cōcordantia, & de *Quid*, deſtructa eſſet prædicta ordinatio; veruntamen implicitè in Quæſtione prædicta implicatæ ſunt Differentia, Concordantia, & tres ſpecies primæ Regulæ, cum ſit magis recolibile, intelligibile, & amabile, quòd in ſolo DEO, Bonitas, & Magnitudo convertantur.

2. Item, in Quæſtionibus de ſecunda Figura ſolvuntur Quæſtiones per Differentiam, & Concordantiam; Et etiam in tertia Figura per Principia primæ, & ſecundæ Figuræ; Et in quarta Figura per omnes Regulas, & Principia, ut patet in Quæſ-

tione

tione de Æternitate, ſcilicet utrum mundus ſit æternus? Et quid eſt æternitas &c. Item Quæſtiones ſolvuntur per Regulas in tractatu Regularum, faciendo Quæſtiones per *Vtrum*, & per *Quid* &c.

QUÆSTIO XLIX.

DIcitur in Arte, quòd novem ſunt ſubjecta Artis per quæ diſcurrunt omnes Quæſtiones quæ fieri poſſunt, ſcilicet DEVS, Angelus, Cœlum &c. ut patet in Prologo citatæ diſtinctionis Quintæ: unde quæro, Quare non procedit primo de DEO per unam Quæſtionem, & poſtmodum de Angelo per aliam.

1. *Solutio.* Reſpondeo, quòd in Quæſtionibus ultimis, quæ reſolvuntur per litteras tantum eſt prædictus proceſſus de quo quæritur; ſed in principio, ubi ſolvuntur quæſtiones per rationes, oportuit tenere alium proceſſum, ut quæſtiones multiplicari poſsint per plures modos, & ut Practica eſſet magis longa, & abundans.

QUÆSTIO L.

CVm DEVS ſit Trinus, & Incarnatus, quæro: Quare non feciſtis in Arte Quæſtionem de Divina Trinitate, & de Incarnatione.

1. *Solutio* Ars eſt Generalis omnibus, Chriſ-

tianis,

tianis, Sarracenis, Judeis, ac etiam Paganis; sed non esset Generalis omnibus, si in ipsa esset Fides Christiana *explicitè*; veruntamen est in ipsa *implicitè*, ut apparet in pluribus, & maximè in Quæstionibus ultimis per definitiones Principiorum, sivè per definitionem Æqualitatis deductum per Divinam Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem &c. Quoniam sicut DEVS est ita magnus per suam Bonitatem, sicut per suum Intellectũ: ita bonificat se per suam bonitatem; alioquin sua bonitas, & finis intellectus non essent æquales in magnitudine suæ Potestatis, & virtutis, voluntatis &c. quòd est impossibile; sed DEVS se bonificare non potest, cum sit bonus formaliter, & æternaliter, & infinitè; sed ratione finis bonificat se in quantum DEVS Pater facit se bonum in producendo bonum Filium; unde sequitur de necessitate in DEO esse productionem Personarum; alioquin definitio bonitatis non esset æterna, & sic de aliis definitionibus attributorum Divinorum, quód est impossibile: & sic de aliis Articulis.

PERORATIO.

DOmine Magister Thoma, finitæ sunt Quæstiones, quas mihi misistis, & placet mihi, quòd ipsas misistis, quoniam in solvendo ipsas Practica Artis est multúm declarata; & rogo vos, quód Tra-

ctatus

ctatus iste sit vobis multùm charus, quoniam per ipsum, pleniùs Artem intelligere, & docere potestis, ac veritates dubiorum invenire.

Magister Thoma vos misistis mihi vocabula, quæ sequuntur, ut definirem vobis per Artem: & sciatis, quòd secunda Regula (*Quid*) est de definitionibus, in quantum quærit de *Quid*; & quia dictum est in Arte, quód mixtio Principiorum, & Regularum Artis fieri debet solvendo dubia, & ad inveniendum secreta: ideò data est doctrina ad faciendum definitiones rerum miscendo Principium cum Principio, Regulam cum Regula, Principium cum Regula, ut definitio appareat, & de hoc volumus exemplificare isto modo super ea, de quibus quæritis.

DE DEO PER REGULAM QUID.

QVæritur primò *Quid est DEUS.*

1. *Solutio.* DEVS est illa bonitas, quæ æternaliter, & infinitè est ratio bona, quòd agat bonum æternum, & infinitum. Ista definitio est facta per definitionem bonitatis, & applicata ad magnitudinem, & æternitatem DEI, & in ipsa apparet mixtio Principiorum per primam speciem secundæ Regulæ.

QUæritur secundo: *Quid habet DEUS in se coessentiale, substantiale, & naturale?*

1. *Solutio.* Respondeo per definitionem Potestatis

testatis, & per secundam speciem tertiæ Regulæ, ad id quòd quæritur per secundam speciem, secundæ Regulæ. DEUS habet in se coëssentialem, substantialem, & naturalem deificantem, deificabilem, & deificare: hoc est Beatissimam Trinitatem; alioquin Potestas non esset in DEO, per quam potest esse Deitas sustentata, neque naturam haberet ad concretum quòd est DEVS; neque in ipsa Deitate, Potestas haberet suam definitionem, eò quòd in ipsa Deitate, Potestas non esset hoc per quòd Divina Bonitas, Magnitudo &c. possunt existere & agere; etiam Deitas sine Deificante, Deificabili, & Deificare, non haberet de quo esset plena.

QVæritur tertiò: *Quid est DEVS in alio?*
1. Respondeo. DEUS Pater est in alio, hoc est in suo Filio, ens Deificans; & si refertur ad ens creatum, est ens creans, gubernas, immutabile, influens bonitatem &c. Et hoc significat definitio Magnitudinis, Æternitatis, Potestatis &c.

QVæritur quartò: *Quid habet DEVS in alio?*
1. Respondeo secundùm definitionem voluntatis, veritatis, & Gloriæ, quòd DEVS Pater habet per generationem in Filio, DEVM Filium distinctum ab ipso personalitèr; & ambo habent per spirationem in Spiritu Sancto, DEUM Spiritum Sanctum distinctum ab ipsis personalitèr, DEUM utique verum, & gloriosum, & è converso; & si intel-

ſi intelligitur Quæſtio de alio extraneo, dico quòd DEUS habet in mundo quidquid vult, ut ſignificatum eſt per definitionem Poteſtatis, & per tertiam ſpeciem tertiæ Regulæ.

DE ANGELO PER REGVLAM QVID.

QVæritur primò: *Quid eſt Angelus in ſe?*

1. Reſpondeo per definitionem Majoritatis, & per tertiam ſpeciem ſecundæ Regulæ. Angelus eſt in illa creatura, quæ magis eſt ſimilis DEO.

QVæritur ſecundò: *Quid habet Angelus in ſe ſibi coeſſentiale, ſubſtantiale, & naturale?*

1. Reſpondeo per ſecundam ſpeciem tertiæ Regulæ, & per definitionem Poteſtatis, & Finis. Et dico, quód Angelus habet in ſe formam, & materiam, & conjunctionem ex quibus eſt conſtitutus eſſentialitèr, ſubſtantialitèr, & naturalitèr; alioquin non haberet ex quo eſſet; neque ſua principia poſſent in eſſe Angeli quietem habere, neque ipſe Angelus per ſe poſſet exiſtere, & agere naturalitèr.

QVæritur tertiò: *Quid eſt Angelus in alio?*

1. Reſpondeo. Angelus eſt in DEO ens contemplativum habens in ipſo DEO quietem, ut vult definitio Finîs; & eſt in homine ens adjuvans, & præparans viam beatitudinis; & eſt in alio ſine occupatione loci; & in motu ſine ſucceſsione, & ſignificatum eſt per ſextam Regulam.

Quæ-

QUæritur quarto: *Quid habet Angelus in alio?*
1. Respondeo per Definitionem Finis. Angelus habet suam definitionem in DEO, & Beatitudinem, & habet in inferioribus, ut vult definitio Potestatis, potestatem agendi in movendo corpora sine tactu, intelligendo colores, & figuras sine sensitivo, & imaginativo.

DE COELO PER REGULAM QUID.

QUæritur primo: *Quid est Cælum in se?*
1. Respondeo. Considerando Differentiam inter substantiam, & substantiam, & hoc, ut possim facere definitionem cœli, dicendo sic. Cœlum est illa substantia corporalis, que major est.

QVæritur secundò: *Quid habet Cælum in se ipso sibi coessentiale, substantiale, & naturale.*
1. Respondeo. Considerando definitionem Potestatis, & secundam speciem tertiæ Regulæ dicendo. Quòd Cœlum habet formam, & materiam corporalem, & conjunctionem eorum; alioquin non haberet per quòd posset esse corpus habens quantitatem & figuram, superficiem & colorem.

QVæritur tertiò: *Quid est Cælum in alio?*
1. Respondeo per definitionem Principii. Cœlum est in Orbe, & in inferioribus primum mobile, & primum continens omnia corpora.

QVæritur quartò: *Quid habet Cælum in alio?*
1. Respondeo. Cœlum habet in inferioribus

bus, sivé in plantis virtutem movendi, ut habet definitio Finis, & Principii.

Ostendimus doctrinam ad definiendum res per quatuor species Regulæ *C.* unde sicut solvimus prędictas Quæstiones, possent solvi Quæstiones sequentes, considerato hoc, quód sunt res de quibus quæritur. Et ut homo habeat generalem doctrinam ad faciendum definitiones, fecimus Tractatum intitulatum *De Mixtionibus Principiorum.*

DEFINITIONES RESPONDENTES Quæstioni Quid.

QUæritur. *Quid est Anima?*

1\. Respondeo. Anima est illa essentia, quæ perficit copus cum quo est conjuncta, ut vult definitio Finis.

QVæritur deinde: *Quid est Corpus?*

1\. Respondeo per tertiam speciem secundæ Regulæ. Corpus est substantia in loco occupans locum. [Et sic de consequentibus implicata Quæstione Quid.]

Elementum est ens ex quo est elementatum. Et hoc vult secunda species Tertiæ Regulæ, & definitio Principii.

Simplex est illud unum, quòd per se, & sine aliquo alio est unum. Et hoc vult definitio Principii.

Compositum est illud unum, quòd est de pluribus. Et hoc vult secunda species tertiæ Regulæ.

Substantia est per se naturalitèr existens, & agens. Et hoc vult definitio potestatis.

Accidens est instrumentum naturale substantiæ, quòd per se existere non potest: Vt significatum est per tertiam speciem tertiæ Regulæ.

Spiritus [corporalis] est ens ut sit vivere. Et hoc significatum est per quartam Regulam.

Genus est concretum relatum ad essentiam generalem & abstractam, ut significatum est per definitionem Principii.

Speciale est concretum relatum ad speciem. Et hoc significatum est per definitionem Principii.

Individuum est ens subditum speciei. Vt significatum est per tertiam speciem tertiæ Regulæ.

Elementativa est potentia elementandi. *Vegetativa vegetandi*. *Imaginativa imaginandi*. Vt significatum est per definitionem Principii, & per Regulam *K*.

Sensitiva est potentia habens in se coëssentiale, substantiale, & naturale sensitivum, sensibile, & sentire. Vt significatum est per secundam speciem secundæ Regulæ.

Rationativa est ens per quód suppositum est ratiosinativum, & ratiosinabile, & ratiosinans formalitèr, ut significatum est per quartam Regulam.

Vita est ens per quòd est vivere. Vt significatum est per quartam Regulam.

Memoria est potentia quæ conservat species acqui-

acquisitas per intellectum. Vt significatum est per æternitatem, sive Durationem.

Voluntas jam est definita in Arte.

Fides est actus intellectus, qui supra suas vires intelligit veritates de DEO obediens volũtati, quæ illas veritates de DEO diligit. Et hoc significatum est per tertiã speciẽ secundæ Regulæ, considerando quòd intellectus est in veritate verus per DEVM.

Paradysus est locus æviternus, & supernus in quo Beati quiescunt. Vt significatum est per definitionem Gloriæ.

Infernus est locus magis infimus, ubi non est quies, & in quo Damnati carent omnibus finibus. Vt significatum est per definitionem Contrarietatis.

Dæmon est Angelus perversus, in quo pœna est magis intensa. Vt significatum est per Majoritatem, & Minoritatem.

Virtus est jam definita in Arte.

Peccatum est accidens in subjecto, quòd nullam similitudinem habet cum DEO. Vt significatum est per Minoritatem, & Contrarietatem, & Privationem finis.

Nobilitas est antiqua possessio possessa in pace cum prosperitatibus.

Vilitas est oppositum Nobilitatis, ut significatum est per definitionem Bonitatis, & Contrarietatis, Finis perfectionis, & privationis.

Lux est color Solis, & aliorum corporum cœlestium.

lestium. Item est color ignis. Vt significatum est in sexta Regula.

Tenebræ sunt vapores in aëre inducti de colore terræ. Vt significatum est in nona Regula, ubi dicitur, quòd substantia transmittit extra se suam similitudinem.

Magister Thoma, finitæ sunt Quæstiones, de quibus quærebatis, & data est doctrina diffiniendi alia dubia. Quando autem dicitis, quòd darem vobis doctrinam scriptam per quam possetis invenire proprietates rerum; ita ut uni competeret talis proprietas, & non alteri, quia per talem doctrinam sciretis invenire proprietates rerum, & per consequens diffinitiones & veritates, sicut invenire quòd est proprium DEO, & non alteri; & sic de Angelo, cœlo, & aliis.

Respondeo, quòd hoc de quo vos quæritis est implicatum in Arte, & in Practica ejus miscendo Principia, & Regulas, & concludendo tali modo, quòd definitiones Principiorum, & species Regularum remaneant hoc quòd sunt affirmando, vel negando; sicut quærere de DEO Quid est sibi proprium? Et quidem est DEO proprium, quòd agat tantúm, & producat, in se de bono, magno, æterno &c. quantum ipse est, ut sua bonitas, & sic de aliis, sit ita magna & æterna ratio producendi bonum, sicut DEVS est DEVS, & sit ita DEVS per suum agere, sicut per suum existere. Hæc propri-

etas

etas nulli alteri enti competit; cum nullum ens possit tantùm agere de bono magno, & durabili per se, quantùm ipse est. Item, soli DEO cōpetit creare ratione definitionis Principii; quoniā si alicui alteri enti competeret creare, competeret ei producere seipsum de nihilo, & esset antequam esset, quòd est impossibile, & contra definitionem Principii.

Item, proprium est Angelo, quòd sit sua species, & quòd attingat sua inferiora sinè sensitivo, & imaginativo, ut supra dictum est in sua definitione. Et hoc vult tertia species, tertiæ Regulæ, & definitio Majoritatis; cum Angelus sit in DEO magìs altus, quàm homo, per similitudinem: & ideo sic potestis videre per ea, quæ dicta sunt, discurrendo per Principia, & Regulas miscendo illa inter se & cum istis, ac sic invenire proprietates rerum, & de hoc in prædictis definitionibus scriptis data est doctrina.


Item, quando quæritis de necessitate Angelorum, Cœli, &c. Et quòd mundus sit talis, qualis est? Responsum est vobis in quadragessima quarta Quæstione.

Item, quando quæritis, quòd dicam vobis de secunda Figura, cujus aliqua Principia non pertinent ad DEVM. Dicimus vobis; quòd Majoritas, Minoritas, & Contrarietas non pertinent ad DEVM cum sit æternus, & infinitus, neque Contrarietas pertinet ad Angelum, nec etiam ad Cœ-

lum,

lum, cum ſint entia incorruptibilia; Minoritas autem Majoritas, & alia competunt eis, cum ſint ex ſubſtantia, & accidentibus compoſita. Omnia alia Principia Figurarum omnibus aliis entibus competunt. Et iſta ſufficiant ad ea, quæ vos quæritis.

Compilatus fuit iſte Tractatus Pariſiis anno Domini 1290. menſe Julii ad honorem DEI noſtri Jeſu Chriſti.



TABVLA GENERALIS

OMNIVM QVÆSTIONVM CONTENTARVM in quatuor Libris Tomi præsentis.

QVÆSTIONES LIBRI FACILIS SCIENTIÆ.

DE DEO.

QVÆSTIONES DE ANGELIS.

raculosè ? Sol. est implicata in cap. de Bonitate §. 2. fol. 3.

Quæst. Utrum Divina Bonitas sit perfectum objectum Angelorum ? Sol. in cap. de Bonitate §. 3. fol. 3.

Quæst. Utrum Divina Æternitas habeat majorem potestatem in gubernando Angelum, quàm Divina Bonitas in bonificando ? Sol. in cap. de Bonitate §. 4. fol. 4.

Quæst. Utrum Angelus sit tantùm potens quoad suum agere quantum quoad suum existere ? Sol. fol. 27.

QUÆSTIONES DE COELO.

QUæst. Utrum Divina Potestas posit extendere Cœlum in infinitum ? Sol. fol. 27. & Cap. de Magnitudine fol. 5.

Quæst. Utrum Cœlum posset impedire magnitudinem Divinæ Potestatis ? Sol. fol. 27. & f. 5.

Quæst. Utrum Cœlum sit magnum sine proprio motu ? Sol. fol. 28. & in 3. §. de Magnitudine fol. 5.

Quæst. Utrum innata Principia cœli convertuntur ad invicem? Sol. f. 28. N. 4. & §. 4. fol. 6.

Quæst. Posito quòd Cœlum sit æternum, quæritur: Vtrum habeat infinitam naturam ? Sol. fol. 28. & §. 5. fol. 6.

QVÆSTI-

QVÆSTIONES HOMINIS.

QVæſt. Vtrum forma, & materia hominis magis participent cum Divina unitate, & æternitate, poſito quòd ſint factæ à DEO? Sol. fol. 28. & ad primam Rationem in Cap. de æternitate fol. 6.

Quæſt. Vtrum intellectus Platonis ſit particulatus? Sol. fol. 28. §. 2. & in Cap. de æternitate §. 2. ſol. 7.

Quæſt. Vtrum DEVS habeat tantam poteſtatem in homine quoad ſuam bonitatem, quantum quoad ſuam æternitatem? Sol. fol. 29. & § 3. f. 7.

Quæſt. Vtrum ſit poſsibile, quòd ſit reſurrectio hominum? Sol. § 4. Cap. de æternitatæ fol. 7.

Quæſt. Vtrum ſit bonum, magnum &c id per quòd homo magis dependet á DEO? Sol. §. 5. fol. 7.

QVÆSTIONES IMAGINATIONIS.

QVæſt. Utrum DEVS faciat motum imaginationis? Sol. fol. 29. & in prima ratione Cap. de Poteſtate fol. 8.

Quæſt. Vtrum DEVS cum ſua poteſtate comprehendat totam eſſentiam imaginationis, & accidentia ejus? Sol. in §. 2. Cap. de poteſtate fol. 8.

Quæſt. Vtrum impoſsibile quodcumque ſit, poſsit impedire poſsibilitatem Divinæ poteſtatis? Sol. in §. 3. ſol. 8.

 Quæſt.

Quæst. Posito, quòd homo mortuus resurgat de morte ad vitam, utrum DEVS posset resuscitare illam eandem imaginationem, quam habebat in hac vita? Sol. §. 4. Cap. de Potestate fol. 8.

Quæst. Vtrum DEVS posit anihilare naturalem potentiam quam habet imaginatio? Sol. in §. 5. fol. 9.

QVÆSTIONES SENSITIVÆ.

QVæst. Vtrum sit sensus agens. Sol. in §. 1. Cap. de intellectu fol. 10.

Quæst. Vtrum humanus intellectus posit facere veriores, & altiores scientias cum particularibus sensibus, quàm cum Divinis Rationibus. Sol. in §. 2. fol. 10.

Quæst. Vtrum intellectus posit facere scientiam extrà sensum? Sol. fol. 31. & §. 3. fol. 10.

Quæst. Vtrum sensus particulatus habeat correlativa sibi connaturalia? Sol. fol. 3. & §. 4. fol. 10.

Quæst. Vtrum mortuo animali anihiletur ejus sensus? Sol. fol. 31. & §. 5. fol. 10.

QVÆSTIONES VEGETATIVÆ.

VTrum vegetativa sit potentia absoluta? Sol. fol. 32. & §. 2. fol. 12.

Quæst. Vtrum vegetativa tantum appetat suam potestatem, quantum appetit suam durationem? Sol.

Sol. §. 3. Cap. de voluntate. fol. 12.

Quæſt. Vtrum vegetativa habeat ita magnum inſtinctum quoad ſe ipſam in bonificando plantam, quám in magnificando ipſam? Sol. §. 4. fol. 12.

Quæſt. Vtrum vegetativa æqualitèr appetat actus ſecundarios ſuorum Principiorum innatorum? Sol. §. 5. fol. 12.

QVÆSTIONES ELEMENTATIVÆ.

QVæſt. Vtrum intellectus ita veré cum habitu Fidei cognoſcat DEVM, ſicut cum ſenſu cognoſcit elementum, vel elementatum? Sol. §. 1. fol. 13.

Quæſt. Vtrũ DEVS magis deſcendat ad illuminandũ intellectum de ſe ipſo, quám intellectus ad ſenſum ad faciendum ſcientiam de elementis, vel elementatis? Sol. §. 2. fol. 14.

Quæſt. Utrum potentia elementativa habeat proprium ſubjectum, & objectum, hoc eſt, ſubjectum elementando, & objectum optatum elementatum? Sol. §. 3. fol. 14.

Quæſt. Vtrum virtus potentiæ elementativæ poſsit impedire virtutem potentiæ vegetativæ? Sol. fol. 34. & §. 4. fol. 15.

Quæſt. Vtrum potentia elementativa ſit tantum potens quoad ſuam bonitatem, quantùm quoad ſuam poteſtatem? Sol. fol. 34. & §. 5. fol. 15.

QVÆSTIONES VIRTVTVM MORALIVM.

QVæst. Utrum DEVS tantum utatur sua veritate ad verificandum morales virtutes, quantum utitur suo intellectu ad intelligendum ipsas? Sol. fol. 35. & §. 1. fol. 15.

Quæst. Vtrum Justitia, Prudentia &c. sint sinè actu veritatis? Sol. fol. 35. & §. 2. fol. 16.

Quæst. Vtrum virtus sit magis possibilis quàm peccatum? Sol. fol. 35. & §. 3. fol. 16.

Quæst. Utrum veritas virtutum sit proprius actus Divinæ veritatis? Sol. fol. 35. & §. 4. fol. 16.

Quæst. Vtrum Fides sit habitus nocivus intellectui, qui intelligit DEVM, & Charitas voluntati, quæ diligit DEVM? Sol. fol 35. & §. 5. fol. 17.

QVÆSTIONES VITIORVM.

QVæst. Utrum peccator aliquo modo sit in gratia DEI? Sol. fol. 36. & in prima ratione Cap. de Gloria fol. 17.

Quæst. Utrum Angelus possit esse malus per peccatum Sol. fol. 36. & §. 2. fol. 17.

Quæst. Utrum sit bonum, magnum, & verum, quód peccatum sit factum à DEO? Sol. fol. 36. & §. 3. fol. 18.

Quæst. Utrum homo in sciendo, & amando Divinam Trinitatem cum virtutibus sit in peccato? Sol. §. 4. fol. 18.

Quæst. Vtrum DEVS posset creare aliquid contrà

suam

ſuam intelligibilitatem, & amabilitatem? Sol. fol. 36. §. 5. & fol. 18. §. 5.

QVÆSTIONES PERFECTIONIS.

QVæſt. Vtrum ſit bonum, magnum, & verum, quòd DEVS poſsit magis perficere intellectum cũ *intelligere*, quàm cum *credere*? Sol. f. 37. & in prima Ratione Cap. de perfectione fol. 19.

Quæſt. Vtrum mundus ſit de neceſsitate, vel á contingentia? Sol. fol. 37. & §. 2. fol. 18.

Quæſt. Vtrum ſit perfectiſsimus effectus, ſcilicet natura humana Chriſti conjucta cum Divina Natura? Sol. fol. 37. §. 3. & §. 3. fol. 19.

Quæſt. Vtrum Theologia ſit ſcientia magis perfecta, quàm Philoſophia? Sol. fol. 38. & §. 4. fol. 20.

Quæſt. Vtrum humanus intellectus, & ſic de humana voluntate & memoria, poſſet perficere animam ſine correlativis innatis? Similiter de quatuor potentiis corporis. Sol. fol. 38. & §. 5. fol. 20.

QVÆSTIONES

CONTENTÆ IN LIBRO DE NOVO MODO demonſtrandi.

FIDES EST HABITVS COADIVVATIVVS INtellectus: ſicut charitas eſt habitus voluntatis.

QVÆS.

QVÆSTIONES DE CREATIONE MVNDI.

DE RESVRRECTIONE.

DE GLORIFICATIONE.

QVÆSTIONES DE INCARNATIONE.

QVÆSTIONES DE OCTO PARTIBVS Vniversi.

tellectus hominis, ſicut charitas voluntatis? Sol. fol. 86.

Quæſt. Vtrum Avaritia ſit majus peccatum, quàm Luxuria? Sol. fol. 86.

Quæſt. Vtrum Alchymia ſit ſcientia? Sol. fol. 87.

IN LIBRO TERTIO.

QUi eſt *Contradictionis* continentur centum ſyllogiſmi fundati in centum Maximis, & diſcurſi ex divinis Dignitatibus, ſcilicet Unitate, Operatione, Bonitate, &c. per poſsibile, & impoſsibile. Format Author quinque ſyllogiſmos, ex ſingulis dignitatibus, contrà Averroyſtas dicentes, quòd ſimplicitèr intelligebant, quòd naturaliter erat impoſsibile DEUM eſſe Trinum, Creatorẽ, Incarnatum &c.

Notatur fol. 4. N. 8, quód *credere* habet duas ſpecies. Vna eſt credere, quòd diſponit intellectũ, ut intelligat verum, cujus intellectus objectum, eſt intelligibile; ſicut dixit Izayas Prophæta. *Niſi credideritis non intelligetis*. Et per iſtam ſpeciem procedunt ſyllogiſmi, & non per ſecundam, quæ diſponit intellectum ad ignorare, cujus objectum eſt ignorabile, ut dixit David Pſalmo 52. *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt DEVS*.

QUÆSTIONES

MAGISTRI THOMÆ ATTREBATENSIS.

LIB. 4.

Quæst. Utrum conſcientia mea judicans aliquid eſſe peccatum, quòd realiter non eſt peccatum, faciat illud eſſe peccatum? Sol. fol. 20.

Quæſt. Utrum DEVS diligat peccatorem puniendo ipſum? Sol. fol. 21.

Quæſt. Si Papa me excomunicet ſine ratione, Utrum ſim realitèr excomunicatus, & damnatus? Sol. fol. 16.

Quæſt. Utrum ſi ſim excomunicatus me neſciente, ſim damnatus? Sol. fol. 16.

Quæſt. Utrum ſi Sacerdos me abſolvat à peccato cum pœnitentia, quám mihi injungit, & ego ſim in bona voluntate ſatisfaciendi, & poſt aliud tempus amittam ipſam voluntatem, & non faciam illam pœnitentiam, Vtrum ſim abſolutus? Sol. fol. 22.

Quæſt. Vtrum per levem pœnitentiam, quam Sacerdos mihi injungit, ſi eam faciam, ſim liberatus à pœna, & culpa? Sol. fol. 19. Quæſt. 22.

Quæſt. Quare antiqui Patres tamdiu vixerunt, & nunqam attigerunt mille annos? Et utrum illi anni fuerint Solares, vel Lunæ? Sol. fol. 20. Quæſt. 23.

Quæſt. Vtrum influentia cœleſtis in nobis poſsit à nobis impediri, dato, quòd futurum poſsit conjecturaliter ſciri per Aſtronomiam ſecundum quód dicunt Sapientes Aſtronomi? Sol. in lib. de Aſtronomia ipſius B. Authoris. Et in Tabula

Quæst.

ERRATA. CORRECTA.

IN LIB. FACILIS SCIENTIÆ.

Fol. 18. N. 4. ſoppono, lege ſuppono.
fol. 19. lin. 5. tempore. lege corpore.

IN LIB. CONTRADICTIONIS.

fol. 15. §. 46. lin. 6. ſequitur, ipſum. lege ſequitur, quod abhorret, ipſum.
fol. 16. §. 49. lin. 4. in Deo non. lege in Deo nihil

IN LIB. QVÆST. MAGISTRI

THOMÆ ATTREBATENSIS.

fol. 5. lin. 1. inmutabile. lege mutabile.
fol. 12. lin. 5. incarnrtus. lege incarnatus.
fol. 25. lin. 3. Rheubabarum. lege Rheubarbarũ
fol. 37. N. 4. lin. 6. conjugunt. lege conjungunt
fol. 49. §. 1. lin. 4. eſt in illa creatura. lege. eſt illa creatura.

IN TABVLA.

fol. 7. lin. 11. conjucta. lege. conjuncta.